La zafire
L.10

D. IOANNIS MOLANI, SAC. THEOLOGIAE LOVANII PROFESSORIS,

PONTIFICII ET REGII LIBRORUM CENSORIS,

DE CANONICIS LIBRI TRES,

I. De Canonicorum vita,

II. De eorum officijs.

III. De dominio Canonicorum & seruis ecclesiarum.

ITEM, ORATIONES TRES,

De Agnis Dei, De decimis dandis, de decimis defendendis.

cum trib. indicibus.











COLONIAE AGRIPPINAE,
In officina Birckman. ſumptib. Arnoldi Mylij.
Anno cIↃ. Ↄ. LXXXVII.
Cum priuilegio Sacræ Cæſareæ Maieſtatis.

Synodus Aquiſgranenſis ſub Ludouico Pio Imperatore.

Canonici, ſecundum id quod continetur in libro qui de eorum vita collectus eſt, religioſe conuerſentur.

Ambroſius lib. 2. officiorum, cap. 27. Epiſcopus vt membris, ſuis vtatur clericis.

REVEREN=DIS DOMINIS, OMNIBVS STVDIOSIS, COLONIAE LOVANII, & Duaci, residentibns, qui aut sunt Canonici; aut ad, Canonicam vitam vocari desiderant, dilectißimis confratribus, salutem in Domino.



EVERENDI Domini, cum Doctor gentium vinctus in Domino omnes nos obsecret, vt digne ambulemus vocatione qua vocati sumus; nos qui in Canonicũ ordinem cooptamur, & opitulatores sumus eorum quos Deus posuit, ad consummationem sanctorum, in opus ministerij, in ædificationẽ corporis Christi, meminisse in primis oportet huius admonitionis, ne, veluti sal infatuatum, ab hominibus conculcemur, & veluti serui pigri, & inutiles, eijciamur in tenebras exteriores. *Ephe. 4.* *1. Cor. 12.* *Eph. 4.* *Matt. 5.* *Ibi. 25.*

Magnum etenim est Canonicorum nomen, eo quod sint membra episcopa-

 tus;

Concilio Tridentino contra huiuſmodi abuſus latis, reuerentur obediant, ne & parentes cum filijs, & filij cum parentibus, in barathrum inferni, propter paucorum annorum caduca bona, ſe miſeros præcipitent. Seſſ. 24. in refor.

Certè quoniam non his ſolum, ſed & omnibus bonæ voluntatis Studioſis, qui aut ad Canonicam vitam vocari deſiderant, valde neceſſarium eſt, quædam de Canonicorũ vita, & officio, cognoſcere, putaui non inutilem me laborem facturum, ſi quæ eam in rem a me obſeruata ſunt. in libros tres digererem, eoſque non mihi tantum conſcriberem, ſed aliorum quoque vſui deſtinarem.

Quos vbi Dei ac Sanctorum eius beneficio atq; fauore abſolui, & doctorum virorum iudicijs probari animaduerti, veſtris nominibus eos dedicare & nuncupare volui, qui in dulci ſtudiorum exercitio occupati eſtis, aut in noſtra alma Vniuerſitate Louanienſi, aut in matre, Colonienſi, aut in filia, Duacenſi Cum enim mecum recogito has vniuerſitates velut pientiſsimas matres, in eruditione, fide, & moribus, innumeros Canonicos & for-

mare & parturire: quib⁹ multi ad maiores dignitates euehuntur; Vestrarum Reuerentiarum patrocinium selegi, tum quod mutuus debeat esse inter doctores & discipulos amor & honor: tum etiam quod iucundum mihi sit sub patrocinio multorum magnæ expectationis Studiosorum libros hos publicari: multo verò iucundius erit audire, & Vos, & alios, ex horum lectione in scientia & moribus profecisse. Valete in vinculo fidei & vnitatis. Louanij anno 1585. Kalendis Ianuarij, stylo Gregoriano.

Reuerentiarum Vestrarum in Christo frater, & seruus,

Ioh. Molanus.

INDEX CAPITVM
LIBRI PRIMI, DE Canonicorum vita.

Canonicus primò vocabulum suum interpretetur, & hoc esse nitatur quod dicitur. cap. I.

Canonici olim vsitatius dicebantur clerici. cap. ij.

Canonicos multis sæculis dictos esse fratres. cap. iij.

Canonicos nomen hoc habere a regulæ obseruatione. cap. iiij.

Canonicos non dici ab annuo canone, seu præbenda. cap. v.

De Canonicorum antiquitate, & prisco viuendi modo. cap. vi.

Quo sensu sanctus Augustinus dicatur Canonici & Apostolici ordinis primus reformator. cap. vij.

Fulgentius non modo diui Augustini institutum imitatus est, sed etiam clericorū ministeria reparauit ex probatis fratribus monachis, quos ad ecclesiasticam militiam transtulit. cap. viij.

Prosper quam grauiter tractauerit, quomodo expediat a sacerdote congregandis aut alendis fratribus facultates ecclesiæ poßideri. cap. ix.

Gelasius pontifex, Augustini discipulus, Canonicum ordinem in Italia instaurauit. cap. x.

Canonicum ordinem a monastico semper distinctum fuisse cap. xi.

Collegia Canonicorum quare antiquitus dicta sint monasteria. cap. xij.

Canonicos sub obedientia Episcopi, aut per eum præpositi, vti solere communi refectorio, & dormitorio. cap. xiij.

Quo tempore Canonici communem vitam deseruerint. cap. xiiij.

Ex Canonicorum proprietaria vita, exortam esse Canonicarum liberam vitam. cap. xv.

De regula Canonicorum. cap. xvi.

Qualis fuerit victus, & vestitus, antiquorum Canonicorum. cap. xvij.

Castitatē summopere a Canonicis colendā esse. cap. xviij.

Horas Canonicas religiosè a Canonicis persoluendas esse cap. xix.

Quando Canonici censeantur in regulæ suæ transgreßione periuri esse. cap. xx.

Qualis soleat esse Canonicorum lapsorum pœnitentia. cap, xxi.

De disciplina Capitulari memorabile & stupendum exemplum. cap. xxij.

Qui Canonicorum statum a communi vita collapsum reformarint, & in eo regularem obseruantiam instaurarint. cap. xxiij.

Canonicos Regulares rectè hoc modo nominari. cap. xxiiij.

Canonicos sæcularis obseruantiæ rectè dici Canonicos sæculares. cap. xxv.

Canonicos sæculares rectè dici Canonicos. cap. xxvi.
Canonicos esse opitulatores in Ecclesia Dei. cap. xxvij.

CAPITA LIBRI SECVNDI, de Canonicorum officijs.

Onera inter Canonicos multo tempore communia fuisse. cap. I.
Episcopus Canonicos honorare debet vt Episcopatus sui membra. cap. ij.
Quales erga Episcopum oporteat esse Canonicos. cap. iij.
De Præposito. cap. iiij.
De Abbate sæculari. cap. v.
De Decano. cap. vi.
De Archidiacono. cap. vij.
De Archipresbytero cap, viij.
De Pœnitentiario. cap. ix.
De Scholastico. cap. x.
De Cantore, cap. xi.
De Pastore. cap. xij.
De Thesaurario. cap. xiij.
De custode Bibliotheca. cap. xiiij.
De Hebdomadario. cap xv.
De Magistro ceremoniarum. cap. xvi.
De cellario quo ad grana. cap. xvij.
De cellario quo ad penuarium cap. xviij.
De eleemosynarijs. cap. xix.
De Hospitalario. cap. xx.

De magiſtris fabricæ cap.xxi.
De turnario collatore. cap. xxij.
De Theologo lectore. cap. xxiij.
De Eccleſiaſte. cap.xxiiij
De Catechiſta. cap.xxv.
De Cenſore librorum. cap.xxvi.
De Iuris peritis. cap.xxvij.
De Medico. cap. xxviij.
De nobilibus cap. xxix.
De Canonicis Subdiaconalibus. Diaconalibus & Presbyteralibus. cap. xxx.
De alijs officiarijs. cap. xxxi.
De chorepiſcopo Traiectenſi. cap. xxxij.
De alijs quibuſdam Canonicorum dignitatibus. cap. xxxiij.
De Sacellanis. cap.xxxiiij.
De Vicepaſtore. cap.xxxv.
De matriculario. cap. xxxvi.
De primiſſario, vt loquuntur. cap.xxxvij.
De Vicarijs. cap. xxxviij.
De Muſicis cantoribus. cap. xxxix.
De organiſta. cap.xl.
De ſcholaribus. cap. xli.
De ſeminario. cap.xlij.
De epiſcopo in die Innocentium. cap xliij
De Conſeruatore. cxp. xliiij.
De Rege protectore. cap. xlv.
De Aduocato. cap. xlvi,
De defenſoribus eccleſiarum. cap.xlvij.
De militibus eccleſiarum. cap.xlviij.

De

De Canonicis hæreditarijs. cap. xlix.
Do Receptore. cap. L.
De distributore. eap. li.
De decimatoribus & benefactoribus. cap. lij.
De Notario. cap. liij.
De Virgario. cap. Liiij.

CAPITA LIBRI TERTII, de Canonicorum dominio.

Domini nomen non esse a Canonicis affectandum. cap. I.
Canonicos varijs ex causis recte vocari dominos. cap. ij.
Qua ratione Canonici Cathedrales apud Germanos vocentur Dom-heeren. cap. iij.
Improprietate sermonis Canonicos ex eleemosynis viuere. cap. iiij.
Almutium non esse saccum mendicitatis. cap. v.
Almutij significatio. cap. vi.
Antiquos monachos non pretiosis almutijs, vel birris, sed vilibus mauortibus, vsos esse. cap. vij.
Birri canonicornm quales esse soleant caput viij.
De mitellis vel mitris canonicorum. cap. ix.
Explicatur illud Apostoli, Non dominantes in cleris. cap. x.
Explicatur illud Christi, Principes gentium dominantur eorum. Non ita erit inter vos. cap. xi
Quo sensu in hymno Angelico legatur Tu solus Dominus. cap. xij.

Cur primi Romani Imperatores noluerint domini dici. cap. xiij.

Vnde domini titulus factus sit vsitatißimus. cap. xiiij.

Cur nonnulli domnus & damna dicant pro domino & domina. cap. xv.

Collegia Canonicorum multo tempore possedisse seruos. cap. xvi.

Belgicas ecclesias multo tempore, more reliquarum, possedisse seruos & ancellas. cap. xvij.

Ecclesias aliquãdo motu pietatis emisse seruos a barbaris. cap. xviij.

Christianos valde benignos fuisse erga suos seruos. cap. xix.

Non esse coutemnendam sortem seruorum, ex Saturnalibus Macrobij, ethnici scriptoris, cap. xx.

Christianos, seruos suos vocasse honestis vocabulis, seruulos, pueros, & familiares. cap. xxi.

Canonicos & monachos vocasse seruos suos de familia sanctæ Mariæ, sancti Petri, & similibus nominibus. cap. xxij.

Familiæ nomen latius se extendere quàm ad seruos. cap. xxiij.

Crescente religione Christiana paulatim decreuisse numerum seruorum. cap. xxiiij.

Canonicos ex familia Ecclesiæ multos aggregasse clericos. cap. xxv.

Ecclesiastici famuli, bene probati, potuerunt ab humana seruitute ad distructiorem transire seruitutem monasticam. cap. xxvi.

Manumißio-

Manumißionis formula ex Gregorio Pontifice. cap. xxvij.

De his qui in Ecclesijs manumittuntur. cap. xxviij.

Manumißiones quasdam fuisse absolutas, & quasdam restrictas. cap. xxix.

Manumißiones in Ecclesia frequentißimas fuisse sub onere annui census, Ecclesiæ præstandi. cap. xxx.

De libertis ecclesiarum. cap. xxxi.

Quando seruitia inter Christianos esse desierint. ca. xxxij.

De proprijs hominibus, quos Germania habet. ca. xxxiij.

Quando inter Belgas serui & libertini esse desierint. cap. xxxiiij.

Seruitutem manus mortuæ sublatam esse ab Albarone, episcopo Leodiensi. cap. xxxv.

De seruitute quæ dicta est conmeda. cap. xxxvi.

De seruis Hispaniæ. cap. xxxvij.

Non expedire quod geniti ex ministris ecclesiæ in eius seruitutem redigerentur. cap. xxxviij.

Quod Canonci a quibusdam honoratiori in titulo Patres dicantur, quàm domini. cap. xxxix.

Ab eis potius satagendum esse vt serui agnoscantur quàm domini. cap. xl.

Quod Paulinus, Nolanus Episcopus, singulari exempli se in seruitutem tradiderit vt viduæ filium redimeret. cap. xl.

Errare eos qui ex diuitijs Canonicorum dignitatem metiuntur. cap. xlij.

Quam turpe sit duos aut plures habere Canonicatus cap. xliij.

Conclusio operis. cap. xliiij.

DE CANONICORVM VITA

LIBER PRIMVS.

Canonicus primo vocabulum suum interpretetur, & hoc esse nitatur quod dicitur.

Caput I.



VOD beatus Hieronimus Nepotiano suo de clericis scripsit, *Clericus qui Christi seruit Ecclesiæ, interpretetur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse quod dicitur.* Hoc in primis etiam mihi dicendum occurrit de Canonicis, primo videlicet ab eis interpretanda esse sua vocabula, vt nominum definitione prolalata, id esse nitantur, quod dicuntur. Epist. 1.

Etsi enim, refrigescente charitate, in posteriorum sæculorum multam infelicitatem inciderimus, in quibus multi ignorant qualis fuerit antiquorum Canonicorum vita, tantoque interuallo ab eis seiungamur, vt vix vmbram Canonicæ, quæ inter illos fuit, vitæ, retinuisse videamur, multum tamen expedit, vt qui dominorum Canonicorum titulum valde honorabilem in Dei ecclesia esse arbitramur, primum animaduertamus, quantum

 diste-

distemus à priscis illis canonicis; quibus hoc nomen, a regula sumptum, etsi eius essent obseruantissimi, fere agnotum fuit. Malebant enim humilioribus vocibus clerici & fratres dici, quam à Canonicæ regulæ obseruatione, Canonici appellari. Deinde, etsi non digni sumus, qui cum priscis Canonicis cōnumeremur, nō sic tamen ab eis defecimus, quin inter huius temporis Canonicos, inuenire liceat Canones & regulam, multasque pias constitutiones: ex quarum præscripto, qui vitam instituit Canonici nomen non sine laude, coram Deo & hominibus, obtinebit. Duo itaque considerãda sunt, quales tunc temporis soleant esse Canonici: & quid nomen, ac vocatio, Canonicorum, hoc tempore requirat.

Canonici olim vsitatius dicebantur clerici.

Caput II.

In constitutionibus Basileæ æditis 1547 1557.

VT igitur a nominibus exordiar, Canonici antiquissimo nomine dicti sunt clerici. *Qui* inquit Carolus magnus, *ad clericatum accedunt, quod nos nominamus Canonicam vitam, Volumus vt illi Canonici secundum regulam suam viuant, & Episcopus illorum regat vitam, sicut abbas monachorum.* Est autem clerici nomen passim in ista significatione in Patrum libris, & Canonibus, vbi Canonici nomē rarius inuenitur, obuium. Quamuis ex phrasi nostri temporis multi sint clerici, qui non sunt Canonici; & sint Canonici quidam regulares, qui non sunt clerici.

Illo autem tempore, quando accedere ad clericatum,

catum, erat accedere ad Canonicam vitam, clericus sine dimissorijs & commendatitijs sui episcopi literis, quas formatas appellabant, alibi in clerum assumi non potuit. Et si erant vagabundi (quos Concilium Moguntinum) acephalos, quia sine canonica seu regulari vita inobedientes degerent, vocat: & hippocentauris cōparat, quod, quasi animalia bruta, libertate & desiderio suo ferantur, habentes signum, sed non officium, religionis, hippocentauris similes, nec equi, nec homines: tales dicta synodus vbicumque inuenti fuerint, præcipit vt episcopi, sine vlla mora, sub custodia constringant canonica, & nullatenus amplius arrabundos & vagabundos, secundum desideria voluptatum suarum viuere permittant. *Cap. 22.*

Interpretetur proinde qui in clero Canonicus est vocabulum suum clericus, & nominis definitione prolata nitatur esse quod dicitur. Succincte Hieronymus. *Si enim cleros Græcè, sors latine appellatur, propterea vocātur clerici, vel quia de sorte sunt Domini, vel quia Dominus sors, id est, pars, clericorum est. Qui autem, vel ipse pars Domini est vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, vt & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. Qui Dominum possidet, & cum propheta dicit, Pars mea Dominus: nihil extra Dominum habere potest. Quod si quippiam aliud habuerit præter Dominū, pars eius non erit Dominus.* Hæc Hieronymus. *Ad Nepotianū.* *Thren. 3*

Quamquam igitur olim omnes clerici dicti fuerint Canonici, ipsique Canonici libentius ac vsitatius dicerentur clerici, hoc est, in partem &

ſortem Domini electi, quam Canonici quia tamen vocibus vt nummis vtendum eſt, nolo ea quæ indeſuetudinem loquendi venerunt, in vſum reuocare, ſed meminerimus nos eſſe clericos. Nullus enim aut canonicatus, aut cuiuſcumque beneficij, capax eſt, niſi antea in numerum clericorum, Epiſcopali auctoritate ſit adoptatus. Meminerimus igitur nos eſſe clericos, & nominis definitione prolata, nitamur eſſe quod dicimur. Meminerimus ad nos pertinere, quæcunque in corpore iuris Canonici, & in ſacris Concilis de vita & honeſtate clericorum leguntur Meminerimus quare in capite geramus ſignum Dominicæ coronæ, & quare hunc habitum ſacræ religionis Epiſcopus, vt verbis Pontificalis libri vtar, benedicendo nobis impoſuerit.

In tertia oratione

Canonicos multis ſæculis dictos fuiſſe fratres.

Cap. III.

NEque tantum clerici, ſed etiam fratres, antiquitus dicebamur. Hæc enim nomenclatura non modo in regula diui Auguſtini legitur, ſed paſſim obuia eſt in multarum eccleſiarum erectionibus, dotationibus, priuilegijs, & conſtitutionibus.

Henricus Louanienſis, Dux Lotharingiæ, decimam quam in parochia Geldonienſi poſſidebat, contulit ad communem refectionem fratrum cõuentus ſancti Petri in Louanio. Actum anno Domini ducenteſimo vndecimo ſuprà milleſimum. Et præcedentis ſæculi anno ſexageſimo quarto, erexerat Simon Grendel præbendam ſacerdotalem altaris ſancti Andreæ. In qua erectione vt intelligas

telligas veterem in offerendo munificentiam, oblationem Missæ, tam festis, quam non festis diebus, excepto vno nummo, & iure parochiani, voluit pertinere ad iura septem fratrum. Septem autem fratres vocat Canonicos, neque enim initio plures fuimus, quam septem, qui nunc sumus numero octodecim.

Reijciat fortassis aliquis ex magnis Canonicis, qui in celeberrimis & potentissimis ecclesijs episcopalibus resident, & non aliter quam Cathedrales Domini, Teutonicæ **Dom Heeren/** dici volunt, hoc exemplum tanquam è secundaria ecclesia petitum, & indignum quod ad honoratissimas illas ecclesias extendatur. Quasi vero apud maiores nostros, vt in vita, sic in nominibus, non eadem fuerit, omnium Canonicorum, quarumcunq; ecclesiarum, humilitas. Quod si magni quidam Canonici de suis ecclesijs id ignorent, reuoluant antiqua sua monumenta: & mox, quod dico, inuenient. Ego sane, vt vnam è multis seligam, & extra Belgium nostrum non excurram. Traiectensem tibi profero ecclesiam, tot opibus, prouincijs, decimis, tributis, & donis, vsq; ad Caroli quinti tēpora cumulatā, vt non minus visa fuerit regia, quā episcopalis, esse sedes. Vnde etiam sub Adelboldo antistite certatim accurrisse memorantur vicini principes, Brabantiæ, Geldriæ, Hollandiæ, & alij vt se huius ecclesiæ clientes, quos vasallos dicunt, recognoscerent. Et tamen inter tot splendores, fratrum nomen eis vile non fuisse, ex multis donationibus est manifestum: Henricus tertius in remedium animæ patris sui Conradi Imperatoris, cuius ventris interiora in Ecclesia sancti Martini sepeliuit, dedit prædium, quale tenuit in Villa Gro-

Ex charta donationis anno 1040 12 Kal. Iunij.

Groninga, in Comitatu Trente, cum omni eiusdem Comitatus districtione, ad vtilitatem fratrum ibi Deo incessabiliter seruientium. Otto primus cum inibi filius eius sub Baldrico Pio studeret dedit fratribus in duobus monasterijs videlicet Saluatoris nostri & beatissimi confessoris Martini Deo famulantibus, totum quod in pago **Lake** & **Isla** habuit. Datum in Renin anno D. CCCC XLIIII. Et regnante Ottone tertio Frethelbaldus bona sua, in Teisterbantia sita, donauit sancto Martino partim pro stipendiali vsu fratrum Pontificialis cathedræ, partim pro fratribus vtriusque monasterij.

Godebaldus episcopus villam **Medenbleck** in occidentali Frisia sitam, cum appendicijs, vt loquitur, & censu, & circatu, & oblationibus, tradidit fratribus ecclesiæ sancti Martini. Huiusmodi autem locutio passim obuia est in antiquis scriptis cæterarum quoque ecclesiarum, Leodiensis, Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, & Morinensis, vt omnes recenseam antiquas nostri Belgij ecclesias cathedrales.

Ludgeri vita ad XXVI. Martij.

Facile autem falleret quempiam hæc minus considerantem, fratris vocabulum. Exempli gratia. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis vitam, fratres in cenobio sancti Saluatoris & sancti confessoris Ludgeri, scripserunt omnibus in Christo fidelibus, Dei, Sanctorumque eius, non fictis amatoribus. Auditis vocibus fratrum & cænobij, videri possunt VVerdenenses illi, ad Ruram habitantes, monachi fuisse, & tamen ex totius libri deductione facile animaduertitur eos tunc temporis ad nullam regulam monasticam fuisse astrictos, quamuis postea, dissoluta veteri Canonica disci-

plina

plina, cum multis alijs, regulam & ordinem sancti Benedicti sint amplexi. Rursus. Gualterus, Macinẽsis ecclesiæ archidiaconus, scripsit vitam & martyrium Caroli, cognomento boni, marchionis Flãdriç, qui non minori gloria Brugis, inter Flandros, quam pater eius Canutius rex, Ottoniæ, inter suos Danos martyr occubuit. Si autem huius historiæ initium legas, ex prænomine fratris, auctor videbitur monachus fuisse, sed quia postmodum se nominat archidiaconum ecclesiæ Morinensis, inde euidenter colligitur ipsum fratris prçnomen, non alia ratione sibi tribuisse, quam quod illud omnibus Canonicis commune, & familiare, erat.

Est enim vocabulum charitatis & amoris mutui, quod à Christo Domino fidelibus traditũ est. *Vade* inquiebat Magdalenæ, *ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Non enim confunditur*, ait Paulus, *fratres eos vocare, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* *Ioan: 20* *Hebr. 7.* *Psal. 17.*
Hoc nomen à Christo, tãquam singulare beneficij sui testimonium, nobis traditum, quos immensa bonitate æterni Patris sui filios, suosque cõfratres, & cohæredes, eligere dignatus est, ab ipsis Apostolis, & omnibus fidelibus, libentissime vsurpatũ est. Quid enim congruentius, quam homines se mutuo fratres nũcupare, qui ab vno Deo, ad eius imaginem creati, vno pretioso sanguinis pretio redempti, ad vnam hæreditatem, in vno spiritu, vocati sunt: qui vnum se patrem habere fatentur in cælis, qui hîc in vnam societatem, & familiam, coeunt, vt postea concorditer regnum æternum possideant, & ad eam felicitatem euehantur, vt

ſint filij Altiſſimi, conciues Sanctorum, imo coheredes, & confratres, vnigeniti Filij Dei? Hoc eſt quod ad gentes ſcribit Tertullianus, *Fratres veſtri ſumus iure naturæ. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem, Deum, agnouerunt, qui vnum ſpiritum biberunt ſanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiuſdem, ad vnam lucem expirauerunt veritatis?*

[c] *In apologetico.*

Hinc ergo fratris nomen inter omnes Chriſtianos in vſu fuit, & inter monachos remanet, multoque tempore inter Canonicos familiariter & honorifice obſeruatum eſt.

Noſtro vero tempore ægre permanet inter Canonicos, qui ſe ſollemni voto regulæ diui Auguſtini, ſub Abbatibus, Præpoſitis, aut Prioribus, obſtrinxerunt. Inter alios autem, qui eiuſdem collegij ſunt, confratris vocabulum perdurat, ſed nollent digniorum eccleſiarum Canonici inferiores Canonicos, fratres, aut confratres, agnoſcere. Vnde Leodienſis Canonicus ab Hoxemenſi confrater ſalutatus, reſpondiſſe fertur, Confrater, ſicut muſcæ ſunt aues. Nos quidem temporum & morum viciſſitudini in loquendo indulgendum nonnihil eſſe putamus, fraterni tamen amoris atque concordiæ viſcera, non exuamus, ne à numero fratrum Chriſti deleamur.

Canonicos nomen hoc habere à regulæ obſeruatione.

Cap. IIII.

HOC autem tēpore vſitatiſſime nominamur Canonici, quod Latine Regulares ſignificat, hoc

hoc est, secũdum canonem, seu regulam, viuentes. *Canonicus*, inquit VVernherus, Cartusianus Coloniensis, *id est, regularis. Vnde qui non vult regi, aut dirigi, non est Canonicus.* Nec minus eleganter Gualterus, primum Insulensis Canonicus, deinde Magalonensis in Francia episcopus, *Si Canonici vocamur, & Canonicam vitam professi sumus, canones a Romana Ecclesia, matre nostra, nobis datos (a quibus etiam vocabulum sumpsimus) amplecti in omnibus, & imitari, debemus.* Similiter Iuo Carnotensis episcopus, non ille quem Iurisconsulti vnicum sanctum populari errore habere dicuntur, vnde & versus Sebastiani Brandt extāt,

Aduocatorum tu gloria prima, vel vna,
Solus & e nostra sidera gente tenes.

Sed alius Decretorum scriptor, ante episcopatum Præpositus ecclesiæ sancti Quintini Beluacensis, &, vt in diei eius collecta Lateranensis ecclesia testatur, Canonici ordinis, in Gallicana ecclesia, reformator: Hic inquam Iuo, scribit ad Gualterum, Præpositum Stirpensem, *Ideo Canonici* (quidam Codices addunt vocem *regulares*) *appellati estis, quod canonicas regulas vos velle obseruare, cæteris arctius deuouistis.*

Ad diem XX Maij.

Epist. 202.

Nec ineleganter circa hoc Canonici nomen philosophatur Cardinalis Nicolaus de Cusa tractans enim illud Apostoli, Sic currite, vt comprehendatis. *Canonicus*, ait, *a Canone (quæ Latine regula) dicitur. In regularum igitur seu Canonum obseruatione, viuere, moueri, & currere debet.*

li. 10 excitationum.

vel præstationẽ, quæ illis singulis annis ex ecclesiæ fructibus persoluitur, significationem quidem illam canonis apud diuũ Augustinum agnosco, & apud Iurisconsultos frequentissimã esse scio, apud quos legitur, canõ aurarius, canõ delegationis, canon frumentarius vrbis Romæ, canon vrbicarius, canon vrbanus, canon mutallicus, canon vestiũ, canon nauli, canon telonei, canon glebæ, & similia, a Pardulcho Patreo, Hieronymo Verrutio & alijs obseruata. Item, Canonicæ vestes, canonici equi, canonica pensitatio, & eiuscemodi aliæ locutiones. Et qui huiusmodi canones recipere solent, canonicarij dicebantur. Vnde in Cassiodori variarum lectionum libris epistola extat, libro vndecimo, scripta Ioanni Canonicario Thusciæ: & libro duodecimo, epistola ad Canonicarium Venetiarum. Sed certum est à regula & vita Canonica, non autem ab huiusmodi canone eos dictos esse a veteribus Canonicos. Neque enim clericis suis præbendas, quas nunc vocamus, dabant, verum Apostolici ordinis imitatores in communi viuebant. Quare in hæc vsque tempora videmus canonicatus a præbendis distingui. Ego enim in nostra ecclesia Louaniensi resedi cum Rasone seniore canonico, ex nobili Grauiorum familia, qui primis septem annis fuit canonicus absque præbenda. Quod tamen rarius contingit, eo quod in Corpore iuris Pontificij legatur, *Non est congruum vt præbenda careat qui in Canonicum noscitur esse receptus.* Nescio tamen an alibi frequentius sit, eo quod in allegationibus in caussa præcedẽtiæ inter Abbates, & clericos Canonicos Regulares Lateranẽses, legerim huiusmodi Canonicos dici Canonicos in herba. Sunt autem huiusmodi Ca-

De præbẽdis & dignitatibus.

Allegationes, excusæ Cremonæ, 1567 in fol.

Canonici nõ prębendati, coadiutores, expectantes prębendas Sũt rursus & alij, qui honoris caussa fiũt Canonici, vt Francorum rex in multis ecclesijs, qui iure nonnullo, dum adsunt, collegij vtuntur, nullum tamen inde beneficium recipiunt, aut expectant. Ex quibus omnibus manifestum est non modo veterum, sed & recentiorum, iudicio, Canonicos à regula quam profitentur, non autem ab huiusmodi annua canonis præstatione nomen suum habere.

De collatione beneficiorum.

Scite proinde à Guilhelmo, episcopo Parisiensi, notatum est, neminem sani capitis dubitare quin Canonicus nomen sit officij, operis, militiæ clericalis: non autem redituum, præbendarum, aut emolumentorum, quæ postea accessarunt. Nam qui hæc posteriora primum quærunt, illi potius in horreis & cellarijs, & crumenis, quam in Dei ecclesia, Canonici sunt. Meminerimus itaque nos a regula quam profitemur, Canonicos dici, siue regulares clericos. Hoc enim modo Bernardus in vita Malachiæ, & alibi frequenter loquitur. Quod autem nonnulli male Christiani reprehendant Canonicorum nomen, eorumque in regulares & sæculares distinctionem derideant, id quam improbe & irreuerenter faciant, explicaturus sum postquam de dignitate & statu Canonicæ vitæ disseruero.

Sub fine libri primi cap. 24. 25. & 26.

Atque hæc de nominibus premisisse sufficiat Nam quod clerici religiosi, claustrales, & cænobitales, cõuentuales fratres, & similibus nominibus, appellati simus, id ex antiqua vita dependet, de qua deinceps agendum erit.

De

De Canonicorum antiquitate, & prisco viuendi modo.

Cap. VI.

CAEterum vt hac de re conuenienti methodo agamus, primo tractandum occurrit, quę sit Canonicorum antiquitas, ac quò suam referant originem. Est autem omnium doctorum virorum hac de re scribentium vna sententia, ordinem Canonicorum regulariter viuentium, primum ab Apostolis esse institutũ. Hinc Pius quintus concedens Canonicis regularibus Lateranensibus peculiare officium de insignioribus sui ordinis sanctis, sanctum Augustinũ vocat primum Apostolici ordinis reformatorem. Cum enim in primitiua ecclesia omnib⁹ fere Christianis omnia essent, communia, inter quos erat cor vnum & anima vna, clerici etiam cum episcopis cõmunem agebant vitam. Cæterum quando feruor primæ deuotionis paulatim refrixit, & maior fidelium pars bona propria possidere cæpit, Apostolica illa & cõmunis vita remansit apud omnes monachos: & apud plurimos clericos. Non enim in clero omnes communem vitam agebant. Duplex namque olim erat eorum ordo vt docte Pamelius ad Cyprianum annotauit. Quidam communem agebãt vitam, alij separatim degebant. Testis in Africa diuus Augustinus, sermonibus duobus de communi vita clericorum: in Gallijs diuus Prosper de vita contemplatiua capite 2 & 9, vsque ad 15. Romæ & in Anglia diuus Gregorius, ad quæstiones Augustini Anglorum episcopi. Quorum illi cõmuni mensa ab episcopo sustentabantur: his vero, pro meritis

In bullã ante officium Lateranense.

Act. 4.

In epist. 66.

meritis singulorum, certa nũmorum quãtitas, alijs maior, alijs minor, distribuebatur. Inter quos etiã sportulas presbyteris datas, amplius quam Diaconis, satis insinuat Cyprian⁹ epistola 34, vbi meminit sportularum, quibus presbyteri honorabãtur: quos etiam ea de causa, epistola 66, vocat sportulantes fratres. Et Theophilactus in Apostoli locũ, Qui bene prę sunt, præsbyteri duplice honore digni habeantur. Duplici, inquit, viduarum respectu, vel diaconorũ: vel simpliciter, duplici pro multo. De posterioribus etiam his loquitur diuus Hieronymus, dum clericorum Romanorum luxum nimium taxat, epistolis ad Heliodorum, ad Nepotianum, & alibi frequenter. *1. Tim. 5*

Quanquã autem clerici, tam ij qui priuatim vel ex ecclesię bonis, vel ex proprio viuebant, patrimonio quam illi qui communem agebãt vitam, omnes subesse soleant Episcopis suis, & sub eis canonice viuere adeo vt qui communem degebant vitam, per prima aliquot sæcula non habuerint speciale nomen, quo à reliquis clericis distinguerentur, postmodum tamen, vel vsurpatiue, vel per antonomasiam, apud illos tantum Canonicorum nomen remansit, qui simul sub Episcopo communem ducebant vitam, eodem vtentes refectorio, eodemque dormitorio. A temporibus enim Apostolorum semper adlaborarunt Episcopi, vt penes se haberent fideles, & prudentes, ac literatos è clero cooperarios, qui aut domestici erant Episcoporum, aut eis vicini habitabant, &, iuxta Apostolicam institutionem, communem cum eis ducebant vitam aut in ijs quæ eis præscribebantur, sedulò se exercebant, vt à monachis non viderentur differre

nisi quod tria illa monachorũ vota sollemnia non profiterentur. Cumque clerus multiplicaretur, & omnes clerici apud episcopos commode habitare non possent, aut, pro multiplicatione & vtilitate fidelium, alijs quoque in locis eos plautarij conueniret, varijs in locis Collegia Clericarũ, siue Canonicorum, sunt erecta, sub Episcoporum tamen regimine, mediante Decano, aut Præposito.

Ex quibus omnibus facile paret nostri temporis Canonicos, qui ad distinctionem regularium, hoc est, eorum qui regulam sollemni voto profitentur, seculares dicimur, nihil commune habere, quo ad vitam communem, cum primitiuæ ecclesiæ, aut sequentium aliquot sæculorum, Canonicis. *Act.4.* Inter illos enim, vt in Actis Apostolorum legitur, *erat cor vnum, & anima vna.* Quod quidam Flandrice eleganter expressit, **een Hert / een Gemoet : een Lijf / een ziel.** *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat.* Suum, hoc est, sibi proprium. Neque enim monachus contra hunc locum peccat, si iuxta regulam *Quod commune est, meum est* : dicat, Da mihi librum meum, aut simile quid, per hoc non proprietatem, sed tantum vsum, designare volens. Frustra autem ex vocabulo possidendi vrgeretur eos sibi seruasse proprietatem, quia etiam de monachis recte dicitur, Nihil habẽtes, & omnia possidentes. Vnde sequitur. *Et erant illis omnia communia* Pulchræ Beda, *Latine communia, Græce dicuntur κοινὰ A quo nomine constat perfectos Dei famulos Cænobitas Græce, id est, cõmuniter viuentes, & Cænobia, habitacula eorum esse vocata.* *In lib. retractat. in Acta.*

vocata. Communitatem autem hanc non oportet intelligere, quasi rei propriç possessio damnata sit, quomodo eã, aut hoc tempore anabaptistæ, aut iam olim Manichæi, vel qui sibi Apostolicorum nomen arrogarunt, interpretati sunt. Contra quos aliquoties disserit diuus Augustinus. Sed omnia erant illis communia, cum in modũ, qui sequitur. *Distribuebatur autẽ singulis prout cuiq; opus erat.* Græci videntur intelligere, secundum cuiusque dignitatem. Quem commentarium hodie nõnulli libenter amplecterentur, qui suas dignitates imaginantur multis egere beneficijs. Sed alij, vt etiam Augustinus in regula, exponũt, secundum cuiusq; necessitatem. Et eundem in modũ, regulæ commentater, Hugo Victorinus. *Distribuebatur*, inquit, *vnicuiq; sicut opus erat. Hoc non est ita intelligendum, vt vnicuiq; quod opus erat abundanter sic distribueretur, vt non haberent, indigentiã. Cum enim scriptum sit quod inter eos nullus egens erat, legimus etiam, de ipsis Apostolis, quod seruiebant Deo, in fame, & siti, in frigore & nuditate.* *De moribus eccle-siæ l 1, cap 35. de hæres. ca. 40. epist. 89.* *2. Cor. 11.*

Hæc Hugo. Quamquam ego putem Apostolos non seruijsse Deo in fame & siti, quando Hierosolymis in fratrum communione erant, sed quando propter nomen Christi vincti erant, aut cum alibi suum Apostolatum exercebant. Hic itaque fuit status Canonicorum primitiuæ ecclesiæ, qui cum per multa sæcula talis permanserit, non modo inter Latinos, sed etiam inter Græcos, nõ mirum est hũc cleri ordinem dictum esse Apostolicum ordinẽ. Verum quando nos iam olim suaue illud, & Apostolicũ, communis vitæ iugum nobis excussimus, *Sazom. l. 6, cap. 31.*

mus, longeque & à cœnobitis clericis, & à ſportulantibus fratribus, receſſimus, quippe qui ratione Canonicatuum recipimus, & groſſos, vt loquuntur, fructus, quos & corpus vocant: & accidentia minorum fructuum, quæ diſtributiones, & manualia, dicuntur, eaque ſingulis propria ſint; non mirari oportet, ordinem noſtrum, qui tantopere à primæuo ſtatu declinauit, non amplius Apoſtolicum dici.

Canonici vero, qui regulares dicuntur, quia per ſolemnia vota firmius ſe Deo ad regulę arctioris obſeruationem aſtrinxerunt, recte, & à Pontificibus maximis, & ab omnibus doctis viris, dicuntur Apoſtolicum ordinem profiteri. Non quod ab initio, ſicut monachi, ſic & Canonici, vota ſimilia vouerint, ſed quia tam longe à communi vita receſſimus, vt nos derideri putaremur, ſi quis nobis ſcriberet nos Apoſtolicum ordinem profiteri: Illi vero in communi illa diſtributione victus & tegumenti, & obedientia ſub Præpoſito, aut Priore, permaneant, nec tantum permaneant, ſed & vota ſolemniter ſuper adijciant, per quæ ſibi felicem inijciunt neceſſitatem, in fraterna communi vita permanendi, ideoq; merito Apoſtolicum ordinem profiteri dicantur.

Et hinc eſt quod Canonici regulares non eos tantum inter ſui ordinis ſanctos celebrent, qui, vt ipſi, monaſtica vota amplexi ſunt, ſed etiam priſcos illos Canonicos, qui abſque votis monaſticis Canonicam, & regularem, atque communem, vitam, ſancte egerunt. Qualis in Belgio noſtro fuiſſe putatur Odulphus, Traiectenſis ec-

ſis eccleſiæ Canonicus: & in VVeſtphalia Meinulphus archidiaconus Paderbornenſis. Quos VVindeshemenſis vnionis regulares inter ſanctos ſuos non immeritò celebrant. Qualis etiam fuit Anianus, Marci Euangeliſtæ diſcipulus, & poſtmodum in Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatu ſucceſſor. Cuius natalem cum Canonici regulares Lateranenſes celebrent, ipſis Kalendis Decembris, inter alia legunt eum à beato Marco in mandatis accepiſſe, vt ne ab Apoſtolicis regulis diſcederet, ſed in commuui vitam agens, ſuos quoque diſcipulos in ea diligenter erudiret. Adeoque prædicationem ſuam miraculis illuſtraſſe, vt & montem de loco ad locum, ad comprobandum Euangelicæ ſcripturæ veritatem, trãſtulerit. Quo facto, regem Pentapolis, ad Chriſtum conuerſum, & baptizatum, eodem adhortãte, per omnem prouinciam eccleſias ædificaſſe, clericoſque ibi regulariter viuentes inſtituiſſe. Quam ſanctiſſimam & celebrem propagationem, non poſſumus tanquam dubiam, vel ſuſpectam, reijcere atque extenuare, quaſi in initio non fuerit ille Eccleſiaſticæ plantationis fulgor, cum inter externos ſcriptores tum temporis Philo Iudæus, Alexandrinus, Leuitici ſanguinis, à Græcis Plato Iudæus dictus, clarueritr, qui ab Hieronymo & Euſebio inter Eccleſiaſticos ſcriptores eſt recenſitus, quia librum ſcripſit de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam Ecceleſia, in quo cum Chriſtianos miris encomijs exornauerit, ſcribit inter cætera, quod ad præſens inſtitutum quam maxime facit, *Eſt in quoque fere agro ædes ſacra, quæ appellatur σεμνεῖον, id eſt, auguſtum templum:*

Lectione quinta

Matt. 17.

Apud Eu. l.2.ca.16.

Groninga, in Comitatu Trente, cum omni eiusdem Comitatus districtione, ad vtilitatem fratrum ibi Deo incessabiliter seruientium. Otto primus cum inibi filius eius sub Baldrico Pio studeret dedit fratribus in duobus monasterijs videlicet Saluatoris nostri & beatissimi confessoris Martini Deo famulantibus, totum quod in pago **Lake** & **Ifla** habuit. Datum in Renin anno D. CCCC XLIIII. Et regnante Ottone tertio Frethelbaldus bona sua, in Teisterbantia sita, donauit sancto Martino partim pro stipendiali vsu fratrum Pontificialis cathedræ, partim pro fratribus vtriusque monasterij.

Godebaldus episcopus villam **Medenbleck** in occidentali Frisia sitam, cum appendicijs, vt loquitur, & censu, & circatu, & oblationibus, tradidit fratribus ecclesiæ sancti Martini. Huiusmodi autem locutio passim obuia est in antiquis scriptis cæterarum quoque ecclesiarum, Leodiensis, Cameracensis, Tornacensis, Atrebatensis, & Morinensis, vt omnes recenseam antiquas nostri Belgij ecclesias cathedrales.

Ludgeri vita ad XXVI. Martij.

Facile autem falleret quempiam hæc minus considerantem, fratris vocabulum. Exempli gratia. Ludgeri primi Episcopi Monasteriensis vitam, fratres in cenobio sancti Saluatoris & sancti confessoris Ludgeri, scripserunt omnibus in Christo fidelibus, Dei, Sanctorumque eius, non fictis amatoribus. Auditis vocibus fratrum & cænobij, videri possunt VVerdenenses illi, ad Ruram habitantes, monachi fuisse, & tamen ex totius libri deductione facile animaduertitur eos tunc temporis ad nullam regulam monasticam fuisse astrictos, quamuis postea, dissoluta veteri Canonica disci-

plina

plina, cum multis alijs, regulam & ordinem sancti Benedicti sint amplexi. Rursus. Gualterus, Macinēsis ecclesiæ archidiaconus, scripsit vitam & martyrium Caroli, cognomento boni, marchionis Flūdriæ, qui non minori gloria Brugis, inter Flandros, quam pater eius Canutius rex, Ottoniæ, inter suos Danos martyr occubuit. Si autem huius historiæ initium legas, ex prænomine fratris, auctor videbitur monachus fuisse, sed quia postmodum se nominat archidiaconum ecclesiæ Morinensis, inde euidenter colligitur ipsum fratris prænomen, non alia ratione sibi tribuisse, quam quod illud omnibus Canonicis commune, & familiare, erat.

Est enim vocabulum charitatis & amoris mutui, quod à Christo Domino fidelibus traditū est. *Vade* inquiebat Magdalenæ, *ad fratres meos, & dic eis, Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Deum meum, & Deum vestrum. Non enim confunditur*, ait Paulus, *fratres eos vocare, dicens, Nunciabo nomen tuum fratribus meis.* Hoc nomen à Christo, tāquam singulare beneficij sui testimonium, nobis traditum, quos immensa bonitate æterni Patris sui filios, suosque cōfratres, & cohæredes, eligere dignatus est, ab ipsis Apostolis, & omnibus fidelibus, libentissime vsurpatū est. Quid enim congruentius, quam homines se mutuo fratres nūcupare, qui ab vno Deo, ad eius imaginem creati, vno pretioso sanguinis pretio redempti, ad vnam hæreditatem, in vno spiritu, vocati sunt: qui vnum se patrem habere fatentur in cælis, qui hîc in vnam societatem, & familiam, coeunt, vt postea concorditer regnum æternum possideant, & ad eam felicitatem euehantur, vt

Ioan: 20

Hebr. 7.

Psal. 17.

sint filij Altissimi, conciues Sanctorum, imo coheredes, & confratres, vnigeniti Filij Dei? Hoc est quod ad gentes scribit Tertullianus, *Fratres vestri sumus iure naturæ. At quanto dignius fratres & dicuntur, & habentur, qui vnum patrem, Deum, agnouerunt, qui vnum spiritum biberunt sanctitatis, qui de vno vtero ignorantiæ eiusdem, ad vnam lucem expirauerunt veritatis?* [c] *In apologetico.*

Hinc ergo fratris nomen inter omnes Christianos in vsu fuit, & inter monachos remanet, multoque tempore inter Canonicos familiariter & honorifice obseruatum est.

Nostro vero tempore ægre permanet inter Canonicos, qui se sollemni voto regulæ diui Augustini, sub Abbatibus, Præpositis, aut Prioribus, obstrinxerunt. Inter alios autem, qui eiusdem collegij sunt, confratris vocabulum perdurat, sed nollent digniorum ecclesiarum Canonici inferiores Canonicos, fratres, aut confratres, agnoscere. Vnde Leodiensis Canonicus ab Hoxemensi confrater salutatus, respondisse fertur, Confrater, sicut muscæ sunt aues. Nos quidem temporum & morum vicissitudini in loquendo indulgendum nonnihil esse putamus, fraterni tamen amoris atque concordiæ viscera, non exuamus, ne à numero fratrum Christi deleamur.

Canonicos nomen hoc habere à regulæ obseruatione.

Cap. IIII.

HOC autem tẽpore vsitatissime nominamur Canonici, quod Latine Regulares significat, hoc

hoc est, secūdum canonem, seu regulam, viuentes. *Canonicus*, inquit VVernherus, Cartusianus Coloniensis, *id est, regularis. Vnde qui non vult regi, aut dirigi, non est Canonicus.* Nec minus eleganter Gualterus, primum Insulensis Canonicus, deinde Magalonensis in Francia episcopus, *Si Canonici vocamur, & Canonicam vitam professi sumus, canones a Romana Ecclesia, matre nostra, nobis datos (a quibus etiam vocabulum sumpsimus) amplecti in omnibus, & imitari, debemus.* Similiter Iuo Carnotensis episcopus, non ille quem Iurisconsulti vnicum sanctum populari errore habere dicuntur, vnde & versus Sebastiani **Brandt** extāt,

Aduocatorum tu gloria prima, vel vna,
Solus & e nostra sidera gente tenes.

Sed alius Decretorum scriptor, ante episcopatum Præpositus ecclesiæ sancti Quintini Beluacensis, &, vt in diei eius collecta Lateranensis ecclesia testatur, Canonici ordinis, in Gallicana ecclesia, reformator: Hic inquam Iuo, scribit ad Gualterum, Præpositum Stirpensem, *Ideo Canonici* (quidam Codices addunt vocem *regulares*) *appellati estis, quod canonicas regulas vos velle obseruare, cæteris arctius deuouistis.* *Ad diem XX Maij.* *Epist. 202.*

Nec ineleganter circa hoc Canonici nomen philosophatur Cardinalis Nicolaus de Cusa tractans enim illud Apostoli, Sic currite, vt comprehendatis. *Canonicus*, ait, *a Canone (quæ Latine regula) dicitur. In regularum igitur seu Canonum obseruatione, viuere, moueri, & currere debet.* *li. 10 excitationum.*

Mensuret igitur Canonicus secundum mensuram rectitudinis & iustitiæ suum cursum, si illum faciat ex canonum obseruantia. Quod si sic inuenerit, sciat se in via comprehensionis. Rectitudo illa consistit in regulando motum concupiscentiæ, qui est animalis, & est trinus, scilicet elationis, auaritiæ, & luxuriæ, qui per religionem reprimitur, quæ est munda & immaculata, & per regulam obedientiæ dominatur motui elationis & superbiæ: per regulam paupertatis auaritiæ: & per regulam castitatis luxuriæ. Omnis Christianus Euangelica regula dirigitur ne dominetur cõcupiscentia in ipso, sed in suo ordine plus Canonici, qui se voto particularius ad Canones astrinxerunt, &, vt diuinis laudibus tantum vacent, saccario operari statuerunt, & ideo de illo edunt.

Seren. 3. *Quocirca scire debemus*, ait Adam Premonstratensis, grandi nos debito cõstrictos qui vsitato nomine Canonici appellamur. *Ipsum namque quod portamus nomen, mouet nos, vt omne quod distortum est, declinemus: & quod rectum est, tam intus, quam exterius exerceamus.*

Meminerimus itaque nos à Canonis & regulæ atq; recti obseruatione canonicos dici: aut, vt paulo exactius loquamur, Canonicos dici a professione Canonicæ & regularis ac bonæ vitæ.

Ad diem 14. Oct. Vnde in Historia sancti Donatiani legitur, Guatinense monasterium constructum esse à viro religioso Odfrido, in quo clerici degunt, Apostolicæ

vitæ

vitæ Canonem sectantes. Et in Historia archidiaconi Verdunensis leguntur litteræ ad fratres Verdunensis ecclesię. sub Canonica authoritate in domo beatæ Virginis Christo seruientes. Multaque eiuscemodi passim obuia sunt. Sicut autem Christiani sunt non ij tantū qui Christi vestigia sectātur, sed quotquot in baptismate Sathanæ & pompis eius abrenunciauerunt, & Christo nomina sua dederunt, eum in modum (salua quod à Canonicatu resilire liceat) Canonicū esse est titulus profitentis se Canonice victurum. Quare si qui Canonici à nomine & professione sua degenerent, vere tamen, quamdiu Canonicatum seruant, Canonici dicuntur. Sed sicut de Christianis dicit Saluianus, Massiliensis Episcopus, *Christianum nomen aureum decus est. Quo si indigne vtamur, fit vt sues cum ornamento esse videamur*; eum in modū Canonici dictum accipiant. Canonici nomen honoris titulus est, sed si eo indigne vtamur, fit vt sues cum ornamento esse videamur. Qui Christianus est, & Christiane nō viuit; Qui Canonicus est & canonicæ non viuit, nomina hæc secum ad damnationem suā portat, & in ijs seipsum quòd male vixerit, damnat. Hæc sunt nomina quæ eos accusabunt dum maiestas venerit iudicantis, & quæ illis erunt in testimonium suæ perditionis, cum audietur sententia condemnantis.

Lib. 3. antiq. Belgij.

Initio li. 4. de prouidētia.

Prou. 11.

Canonicos non dici ab annuo canone, seu prabenda.

Caput V.

QVod si qui velint Canonicos vocari, quia annue recipiunt canonem, hoc est, pensionem,

vel præstationẽ,quæ illis singulis annis ex ecclesiæ fructibus persoluitur, significationem quidem illam canonis apud diuũ Augustinum agnosco, & apud Iurisconsultos frequentissimã esse scio, apud quos legitur, canõ aurarius, canõ delegationis, canon frumentarius vrbis Romæ, canon vrbicarius, canon vrbanus, canon mutallicus, canon vestiũ, canon nauli, canon telonei, canon glebæ, & similia, a Pardulcho Patreo, Hieronymo Verrutio & alijs obseruata. Item, Canonicæ vestes, canonici equi, canonica pensitatio, & eiuscemodi aliæ locutiones. Et qui huiusmodi canones recipere solent, canonicarij dicebantur. Vnde in Cassiodori variarum lectionum libris epistola extat, libro vndecimo, scripta Ioanni Canonicario Thusciæ: & libro duodecimo, epistola ad Canonicarium Venetiarum. Sed certum est à regula & vita Canonica, non autem ab huiusmodi canone eos dictos esse a veteribus Canonicos. Neque enim clericis suis præbendas, quas nunc vocamus, dabant, verum Apostolici ordinis imitatores in communi viuebant. Quare in hæc vsque tempora videmus canonicatus a præbendis distingui. Ego enim in nostra ecclesia Louaniensi resedi cum Rasone seniore canonico, ex nobili Grauiorum familia, qui primis septem annis fuit canonicus absque præbenda. Quod tamen rarius contingit, eo quod in Corpore iuris Pontificij legatur, *Non est congruum vt præbenda careat qui in Canonicum noscitur esse receptus.* Nescio tamen an alibi frequentius sit, eo quod in allegationibus in caussa præcedẽtiæ inter Abbates, & clericos Canonicos Regulares Lateranẽses, legerim huiusmodi Canonicos dici Canonicos in herba. Sunt autem huiusmodi

De præbẽdis & dignitatibus.

Allegationes, excusæ Cremonæ, 1567 in fol.

Ca-

Canonici nō prębendati, coadiutores, expectantes prębendas Sūt rursus & alij, qui honoris caussa fiūt Canonici, vt Francorum rex in multis ecclesijs, qui iure nonnullo, dum adsunt, collegij vtuntur, nullum tamen inde beneficium recipiunt, aut expectant. Ex quibus omnibus manifestum est non modo veterum, sed & recentiorum, iudicio, Canonicos à regula quam profitentur, non autem ab huiusmodi annua canonis præstatione nomen suum habere.

De collatione beneficiorum.

Scite proinde à Guilhelmo, episcopo Parisiensi, notatum est, neminem sani capitis dubitare quin Canonicus nomen sit officij, operis, militiæ clericalis: non autem redituum, præbendarum, aut emolumentorum, quæ postea accessarunt. Nam qui hæc posteriora primum quærunt, illi potius in horreis & cellarijs, & crumenis, quam in Dei ecclesia, Canonici sunt. Meminerimus itaque nos a regula quam profitemur, Canonicos dici, siue regulares clericos. Hoc enim modo Bernardus in vita Malachiæ, & alibi frequenter loquitur. Quod autem nonnulli male Christiani reprehendant Canonicorum nomen, eorumque in regulares & sæculares distinctionem derideant, id quam improbe & irreuerenter faciant, explicaturus sum postquam de dignitate & statu Canonicæ vitæ disseruero.

Sub fine libri primi cap. 24. 25. & 26.

Atque hæc de nominibus premisisse sufficiat Nam quod clerici religiosi, claustrales, & cænobitales, cōuentuales fratres, & similibus nominibus, appellati simus, id ex antiqua vita dependet, de qua deinceps agendum erit.

De

De Canonicorum antiquitate, & prisco viuendi modo.

Cap. VI.

CAEterum vt hac de re conuenienti methodo agamus, primo tractandum occurrit, quę sit Canonicorum antiquitas, ac quò suam referant originem. Est autem omnium doctorum virorum hac de re scribentium vna sententia, ordinem Canonicorum regulariter viuentium, primum ab Apostolis esse institutũ. Hinc Pius quintus concedens Canonicis regularibus Lateranensibus peculiare officium de insignioribus sui ordinis sanctis, sanctum Augustinũ vocat primum Apostolici ordinis reformatorem. Cum enim in primitiua ecclesia omnib9 fere Christianis omnia essent, communia, inter quos erat cor vnum & anima vna, clerici etiam cum episcopis cõmunem agebant vitam. Cæterum quando feruor primæ deuotionis paulatim refrixit, & maior fidelium pars bona propria possidere cæpit, Apostolica illa & cõmunis vita remansit apud omnes monachos: & apud plurimos clericos. Non enim in clero omnes communem vitam agebant. Duplex namque olim erat eorum ordo vt docte Pamelius ad Cyprianum annotauit. Quidam communem agebãt vitam, alij separatim degebant. Testis in Africa diuus Augustinus, sermonibus duobus de communi vita clericorum: in Gallijs diuus Prosper de vita contemplatiua capite 2 & 9, vsque ad 15. Romæ & in Anglia diuus Gregorius, ad quæstiones Augustini Anglorum episcopi. Quorum illi cõmuni mensa ab episcopo sustentabantur: his vero, pro

In bullã ante officium Lateranense.

Act. 4.

In epist. 66.

meritis

meritis ſingulorum,certa nūmorum quātitas,alijs maior,alijs minor,diſtribuebatur. Inter quos etiā ſportulas presbyteris datas,amplius quam Diaconis, ſatis inſinuat Cyprian⁹ epiſtola 34,vbi meminit ſportularum, quibus presbyteri honorabātur: quos etiam ea de cauſa, epiſtola 66, vocat ſportulantes fratres.Et Theophilactus in Apoſtoli locū, Qui bene prȩſunt,præsbyteri duplice honore digni habeantur. Duplici, inquit,viduarum reſpectu, vel diaconorū:vel ſimpliciter, duplici pro multo. De poſterioribus etiam his loquitur diuus Hieronymus, dum clericorum Romanorum luxum nimium taxat, epiſtolis ad Heliodorum, ad Nepotianum,& alibi frequenter. 1.Tim.5

Quanquā autem clerici,tam ij qui priuatim vel ex eccleſiȩ bonis,vel ex proprio viuebant,patrimonio quam illi qui communem agebāt vitam, omnes ſubeſſe ſoleant Epiſcopis ſuis, & ſub eis canonice viuere adeo vt qui communem degebant vitam, per prima aliquot ſæcula non habuerint ſpeciale nomen, quo à reliquis clericis diſtinguerentur, poſtmodum tamen, vel vſurpatiue, vel per antonomaſiam, apud illos tantum Canonicorum nomen remanſit, qui ſimul ſub Epiſcopo communem ducebant vitam, eodem vtentes refectorio, eodemque dormitorio. A temporibus enim Apoſtolorum ſemper adlaborarunt Epiſcopi, vt penes ſe haberent fideles, & prudentes, ac literatos è clero cooperarios, qui aut domeſtici erant Epiſcoporum, aut eis vicini habitabant, &, iuxta Apoſtolicam inſtitutionem, communem cum eis ducebant vitam aut in ijs quæ eis præſcribebantur,ſedulò ſe exercebant,vt à monachis non viderentur differre

niſi

nisi quod triá illa monachorũ vota sollemnia non profiterentur. Cumque clerus multiplicaretur, & omnes clerici apud episcopos commode habitare non possent, aut, pro multiplicatione & vtilitate fidelium, alijs quoque in locis eos plautarij conueniret, varijs in locis Collegia Clericarũ, siue Canonicorum, sunt erecta, sub Episcoporum tamen regimine, mediante Decano, aut Præposito.

Ex quibus omnibus facile paret nostri temporis Canonicos, qui ad distinctionem regularium, hoc est, eorum qui regulam sollemni voto profitentur, seculares dicimur, nihil commune habere, quo ad vitam communem, cum primitiuæ ecclesiæ, aut sequentium aliquot sæculorum, Canonicis. Inter illos enim, vt in Actis Apostolorum legitur, *erat cor vnum, & anima vna.* Quod quidam Flandrice eleganter expressit, **een Hert / een Gemoet : een Lijf / een ziel.** *nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum esse dicebat.* Suum, hoc est, sibi proprium. Neque enim monachus contra hunc locum peccat, si iuxta regulam *Quod commune est, meum est:* dicat, Da mihi librum meum, aut simile quid, per hoc non proprietatem, sed tantum vsum, designare volens. Frustra autem ex vocabulo possidendi vrgeretur eos sibi seruasse proprietatem, quia etiam de monachis recte dicitur, Nihil habẽtes, & omnia possidentes. Vnde sequitur. *Et erant illis omnia communia* Pulchræ Beda, *Latine communia, Græce dicuntur* κοινὰ *A quo nomine constat perfectos Dei famulos Cœnobitas Græce, id est, cõmuniter viuentes, & Cœnobia, habitacula eorum esse vocata.*

Act. 4.

In lib. retractat. in Acta.

vocata. Communitatem autem hanc non oportet intelligere, quasi rei propriç possessio damnata sit, quomodo eã, aut hoc tempore anabaptistæ, aut iam olim Manichæi, vel qui sibi Apostolicorum nomen arrogarunt, interpretati sunt. Contra quos aliquoties disserit diuus Augustinus. Sed omnia erant illis communia, eum in modũ, qui sequitur. *Distribuebatur autẽ singulis prout cuiq; opus erat.* Græci videntur intelligere, secundum cuiusque dignitatem. Quem commentarium hodie nõnulli libenter amplecterentur, qui suas dignitates imaginantur multis egere beneficijs. Sed alij, vt etiam Augustinus in regula, exponũt, secundum cuiusq; necessitatem. Et eundem in modũ, regulæ commentatcr, Hugo Victorinus. *Distribuebatur,* inquit, *vnicuiq; sicut opus erat. Hoc non est ita intelligendum, vt vnicuiq; quod opus erat abundanter sic distribueretur, vt non haberent, indigentiã. Cum enim scriptum sit quod inter eos nullus egens erat, legimus etiam, de ipsis Apostolis, quod seruiebant Deo, in fame, & siti, in frigore & nuditate.* *De moribus ecclesiæ l 1, cap 35. de hæres. ca. 40. epist. 89.* *2. Cor. 11.*

Hæc Hugo. Quamquam ego putem Apostolos non seruijsse Deo in fame & siti, quando Hierosolymis in fratrum communione erant, sed quando propter nomen Christi vincti erant, aut cum alibi suum Apostolatum exercebant. Hic itaque fuit status Canonicorum primitiuæ ecclesiæ, qui cum per multa sæcula talis permanserit, non modo inter Latinos, sed etiam inter Græcos, nõ mirum est hũc cleri ordinem dictum esse Apostolicum ordinẽ. Verum quando nos iam olim suaue illud, & Apostolicũ, communis vitæ iugum nobis excussimus, *Sazom. l. 6, cap. 31.*

mus,

mus, longeque & à cœnobitis clericis, & à ſportulantibus fratribus, receſſimus, quippe qui ratione Canonicatuum recipimus, & groſſos, vt loquuntur, fructus, quos & corpus vocant: & accidentia minorum fructuum, quæ diſtributiones, & manualia, dicuntur, eaque ſingulis propria ſint; non mirari oportet, ordinem noſtrum, qui tantopere à primæuo ſtatu declinauit, non amplius Apoſtolicum dici.

Canonici vero, qui regulares dicuntur, quia per ſolemnia vota firmius ſe Deo ad regulę arctioris obſeruationem aſtrinxerunt, recte, & à Pontificibus maximis, & ab omnibus doctis viris, dicuntur Apoſtolicum ordinem profiteri. Non quod ab initio, ſicut monachi, ſic & Canonici, vota ſimilia vouerint, ſed quia tam longe à communi vita receſſimus, vt nos derideri putaremur, ſi quis nobis ſcriberet nos Apoſtolicum ordinem profiteri: Illi vero in communi illa diſtributione victus & tegumenti, & obedientia ſub Præpoſito, aut Priore, permaneant, nec tantum permaneant, ſed & vota ſolemniter ſuper adijciant, per quæ ſibi felicem inijciunt neceſſitatem, in fraterna communi vita permanendi, ideoq; merito Apoſtolicum ordinem profiteri dicantur.

Et hinc eſt quod Canonici regulares non eos tantum inter ſui ordinis ſanctos celebrent, qui, vt ipſi, monaſtica vota amplexi ſunt, ſed etiam priſcos illos Canonicos, qui abſque votis monaſticis Canonicam, & regularem, atque communem, vitam, ſancte egerunt. Qualis in Belgio noſtro fuiſſe putatur Odulphus, Traiectenſis ec-

ſis eccleſiæ Canonicus: & in VVeſtphalia Meinulphus archidiaconus Paderbornenſis. Quos VVindeshemenſis vnionis regulares inter ſanctos ſuos non immeritò celebrant. Qualis etiam fuit Anianus, Marci Euangeliſtæ diſcipulus, & poſtmodum in Alexandrinæ eccleſiæ epiſcopatu ſucceſſor. Cuius natalem cum Canonici regulares Lateranenſes celebrent, ipſis Kalendis Decembris, inter alia legunt eum à beato Marco in mandatis accepiſſe, vt ne ab Apoſtolicis regulis diſcederet, ſed in communi vitam agens, ſuos quoque diſcipulos in ea diligenter erudiret. Adeoque prædicationem ſuam miraculis illuſtraſſe, vt & montem de loco ad locum, ad comprobandum Euangelicæ ſcripturæ veritatem, trāſtulerit. Quo facto, regem Pentapolis, ad Chriſtum conuerſum, & baptizatum, eodem adhortāte, per omnem prouinciam eccleſias ædificaſſe, clericoſque ibi regulariter viuentes inſtituiſſe. Quam ſanctiſſimam & celebrem propagationem, non poſſumus tanquam dubiam, vel ſuſpectam, reijcere atque extenuare, quaſi in initio non fuerit ille Eccleſiaſticæ plantationis fulgor, cum inter externos ſcriptores tum temporis Philo Iudæus, Alexandrinus, Leuitici ſanguinis, à Græcis Plato Iudæus dictus, claruerit, qui ab Hieronymo & Euſebio inter Eccleſiaſticos ſcriptores eſt recenſitus, quia librum ſcripſit de prima Marci Euangeliſtæ apud Alexandriam Eccleſia, in quo cum Chriſtianos miris encomijs exornauerit, ſcribit inter cætera, quod ad præſens inſtitutum quam maxime facit, *Eſt in quoque fere agro ædes ſacra, quæ appellatur σεμνεῖον, id eſt, auguſtum templum:* vel

Lectione quinta

Matt. 17.

Apud Eu. l.2.ca.16:

vel monasterium, quod Latine locus solitarius, separatusque, dici potest, in quo illi ab alijs separati, seiunctique, vitæ pia & propter virtutem augustæ, mysteria obeunt.

Quo sensu sanctus Augustinus dicatur Canonici & Apostolici ordinis primus reformator.

Cap. VII.

In bulla ante Officium Laterani.


HVius autem Canonici & Apostolici ordinis Pius quintus sanctum Augustinum primum vocat reformatorem. Quod tamen non ita intelligendum est, quasi eius tempore clericorum disciplina illa primitiua, collapsa & dissoluta, fuerit. Quamvis enim Hieronymus in suis epistolis aliquoties perstringat clericorum Romanorum nimium luxum, (est enim luxus omnis disciplinę venenum) satis tamen notum est, communem vitam in eorum collegijs sub episcopis, aut eorum vicarijs, non tantum vsque ad diui Augustini tempora, sed etiam multo post, floruisse; quamuis luxus atque rerum abundantia, quibusdam in locis, vigorem illum Ecclesiasticæ disciplinæ relaxauerat. Eatenus ergo dicitur sanctus Augustinus primus clericorum canonicorum reformator, quia cum sub diuersis Episcopis, & in varijs collegiorum conuentibus, multum canonica eorum regula variaret, ipse moribus clericorum valde accommodatam scripsit regulam, quæ passim ab, innumeris congregationibus est acceptata. Est autem de hac regula in hymno Vesperarũ huiusmodi elogium,

In Officio Lateranensi.

Magne

Magne pater Augustine,
Tu de vita clericorum
Sanctam scribis regulam.
Quam qui amant, & sequuntur,
Viam tenent regiam:
Atque, tuo sancto ductu,
Redeunt ad patriam.

Deinde, recte dicitur primus Canonici ordinis reformator, quia cum clerici antea non soleant esse monachi, ipse ex clero suo Hipponensi fecit veri & proprij nominis monasterium. Quod ex Possidio, & ex citata regula notius est, quam vt multa probatione egeat. Ex quo initio cum, veluti ex lympidissimo fonte, multa scaturierint eiusdem sanctissimi instituti collegia, hinc ipse primus nominatur Canonici ordinis reformator, quòd clericorum collegia ad illum honorem exaltauerit, vt non tantum essent cænobia, sed etiam veri nominis monasteria, in quibus communi vitæ monachorum instituta accederent. Memini quidem Ambrosium scribere, ad Vercellenses, Eusebium, *Epist. 83.* eorum episcopum, in Occidentis partibus primum clericis, monachorum instituta cõiunxisse, vt quamuis communi sententia dicatur diuus Augustinus primus clericali vitæ monasticam adiecisse, non tamen absque anteriori exemplo, (quod ei, cum Mediolani sub Ambrosio versaretur, innotuisse credo,) hoc fecisse videatur. Neque verò hac de causa vulgata sentẽtia velut erronea est perstringenda. Nam cum Eusebius, Vercellis, vno in loco, clericos effecerit monachos, hoc idem sanctus Augustinus, addita regula, ita fecit in clero suo Hipponensi, vt ad eandem pietatem multo-



rum aliorum locorum clerum attraxerit, vt cum Eusebius sui Vercellensis cleri fuerit reformator, diuique Augustini ea in re præcursor, hic tamen paulo post præcursoris vestigia insecutus, tam copiosum multorum locorum clerum ad monasticæ vitæ exercitia attraxerit, & nihilominus in officio clericali permanere voluerit, vt merito, primus, non huius aut illius cleri, sed ipsius Canonici ordinis, reformator, in Occidente, vt Basilius magnus in Oriente, habeatur.

Fulgentius non modò diui Augustini institutum imitatus est, sed etiam clericorum ministeria reparauit ex probatis fratribus monachis, quos ad ecclesiasticam militiam transtulit.

Caput VIII.

ET hoc sanctissimum eius institutum discipuli magno Zelo atque feruore sunt insectati. Inter quos fuit Fulgentius, Ruspensis ecclesiæ episcopus: qui quamuis in sæuissima illa Arianorũ in Africa persecutione, quã Victor Vticensis episcopus libris aliquot elegantissime depinxit, cathena exilij, & ligatus, & religatus, fuerit, in nullo tamen loco visus est sine monachis habitare. Propter quod à ciuibus Ruspensibus hoc primum beneficium, ordinatus episcopus, postulauit, vt Fabricando monasterio locum cõgruum darent. In exilium autem, Sardiniam, regali furore cum

Vita capite 19, 27 & 29.

cum ſexagintā & eo amplius epiſcopis, quorum lingua & ingenium erat extruſus, inter ipſa plane primordia glorioſi exilij, ſimilitudinem magni cuiuſdam monaſterij, monachis & clericis adunatis, ſapienter effecit. Erat quippe eis communis menſa, commune cellarium, communis oratio, ſimul & lectio. Rurſum autem in Sardiniæ, exilium reuocatus, & reportatus, Brumaſij Calaritani antiſtitis conſenſu poſtulato, nouum proprijs ſumptibus monaſterium fabricauit. Mortuo autem Thraſimundo, Hilderici regis bonitas, eccleſiæ catholicæ per Africam conſtitutæ, libertatem reſtituit. Rediens itaq;, cum gloria populari, Fulgentius, qua vtilitati monachorum ſeruientium Deo nihil præpoſuit, inter monachos adhuc habitare deſiderauit. Et ne videretur abbatis Felicis aduentu ſuo minuere poteſtatem imperandi monachis, omnem ſibi ademit voluntariè facultatem, non ſuam ſed alterius, volens ipſe quoque ſequi voluntatem. Et qui adhuc monachus diſpenſationem ſuſceperat fratrum, iam Epicopus dominari noluit in proprio monaſterio, per ſcripturam firmans nihil ſe in illo monaſterio proprium vindicare pro poteſtate ſed pro charitate inter monachos habitare. Clericorum vero, ſi qua defuerunt, miniſteria, reparans, probatos ſibi multos ex fratribus monachis ad eccleſiaſticam militiam tranſtulit. Ibi quoque charitati conſulens, vt, dum pœne omnes clericos ex illo monaſterio ordinat, antiquæ famularitatis monente notitia, nulla lis aliquando inter monachos & clericos ventilaretur.

Prosper quam grauiter tractáuerit, quomodo expediat à sacerdote, congregandis, aut alendis, fratribus, facultates ecclesiæ poßideri.

Caput IX.

Officium Lateranense lect. 4.

HAbet etiam Prosper Aquitanicus, episcopus Regiensis, celeberrimum inter diui Augustini discipulos nomen. Qui doctrinæ eius fuit summus imitator & defensor, & defuncto iam ipsô patre in Lateranensi ecclesia Canonicus regularis, fuit Leonemq; primum in cõscribendis epistolis adiuuit. A quo propter vitæ sãnctitatem, eruditionemque singularem, Regij in Flaminia episcopus est constitutus. Hunc Gelasius, dum eius opuscula probaret, virum religiosissimum appellauit. Quædam igitur ex eius secundo libro de Vita contemplatiua seligamus, vt veluti in speculo intueamur qui nos simus, & quales fuerint maiores nostri, & vt discamus, non ausim, propter multam imperfectionem nostram dicere, quales nos esse oporteat, sed vt saltem discamus quã præposterum, & obscuratum, sit nostrum iudicium, si id cum spiritu Prosperi conferamus: Vt discamus inquam, nobis deesse lympidissimum illum oculum qui requiritur ad sapiendũ de rebus prout sunt, qui necdũ vulgaria peccata vicimus, sed adhuc in limine cum gula, cum linguæ lubricitate, cum auaritia, & similibus peccatis, luctamur. Illi enim multa æstimant pro ut sunt, qui multa deuicerunt.

In Conc. episc. Lxx.

Inter quos qualis fuerit Prosper, quod ad clericorum

corum possessiones attinet, ex eius verbis discamus. Interrogatus enim à Iuliano episcopo. Vtrum congregandis fratribus aut alendis, expediat facultates ecclesiæ possideri, an perfectionis amore contemni, respondit: *Expedit facultates ecclesiæ possideri, & amore perfectionis proprias contemni: Non enim propriæ sunt, sed communes, ecclesiæ facultates: & ideo quisquis omnibus quæ habuit dimissis, aut venditis sit rei suæ contemptor, cum præpositus fuerit factus Ecclesiæ, omnium quæ habet Ecclesia, efficitur dispensator.* Li.2 de vita Contēplat.c.9. *Deinde sanctus Paulinus, (vt ipsi melius nostis) ingentia prædia, quæ fuerant sua, vendita pauperibus erogauit sed cum postea factus esset episcopus, non contempsit ecclesiæ facultates, sed fidelissime dispensauit. Quo facto satis ostēdit & propria debere propter perfectionem contemni, & sine impedimento perfectionis posse quæ sunt communia ecclesiæ, possideri. Quid sanctus Hilarius? nonne & ipse omnia bona sua, aut parentibus reliquit, aut vendita, pauperibus erogauit? Is tamen cum, merito perfectionis suæ fieret ecclesiæ Arelatensis episcopus, quod illa tunc habebat ecclesia, non solum possedit, sed etiam acceptis fidelium numerosis hæreditatibus ampliauit. Isti ergo tam sancti, tam præfecti, pontifices, factis euidentibus clamant, posse, & debere, fieri quod fecerunt Qui vtique homines tam secularium, quam diuinarum litterarum siue ambignitate doctissimi, si scirent res ecclesiæ debere contemni,*

temni, nunquam eas debuerant, qui omnia sua reliquerant, retinere. Vnde datur intelligi, quod tales, ac tanti, viri, (qui volentes esse Christi discipuli, renunciauerunt omnibus quæ habebant) non vt possessores, sed vt procuratores, facultates ecclesiæ poßidebant. Et idcirco scientes nihil aliud esse res ecclesiæ, nisi vota fidelium, pretia peccatorum, & patrimonia pauperū, non eas vendicauerunt in suos vsus, vt proprias, sed vt commendatas, pauperibus diuiserūt. Quod habet ecclesia, cùm omnibus nihil habentibus, habet commune: nec aliquid inde eis qui sibi sufficiunt, debet erogare, quando nihil aliud sit habentibus dare, quam perdere.

Cap. 10. *Nec illi qui sua poßidentes, dari sibi aliquid volunt, sine grandi peccato suo vnde pauper victurus erat accipiunt. De clericis quidem dicit Spiritus sanctus, Peccata populi mei comedunt.*

Oseæ 4. *Sed sicut nihil habentes proprium, non peccata, sed alimenta, quibus indigere videntur, accipiunt: ita possessores non alimenta quibus abundant, sed aliena peccata suscipiunt. Ipsi quoque pauperes, si se possunt suos artificijs aut laboribus, expedire, non præsumant, quod debet debilis, aut infirmus, accipere. Qui autem ecclesiæ seruiunt, & labori suo, velut debita, reddi oportere credentes ea, quibus opus non habent, aut accipiunt libenter, aut exigunt, nimis carnaliter sapiunt, si putant quod ecclesiæ fidelitrr seruientes terrena stipendia,*

ac non

ac non potius præmia æterna, percipiant. Vnde satis indignum est, si fidelis & operosa deuotio clericorum propter stipendium temporale præmia sempiterna contemnat. Quod si quilibet minister ecclesiæ non habeat vnde viuat: non ei præmium hîc, sed necessaria præstat ecclesia, vt in futuro præmium laboris sui recipiat. Illi quoque, qui nihil quidem sibi dari velut debitum poscunt, sed tamen ecclesiæ sumptibus viuunt, non est meum dicere, quali peccato cibos pauperum præsumendo suscipiant, qui ecclesiam quam iuuare de proprijs facultatibus debuerunt, suis expensis insuper grauant, propter hoc fortaßis in congregatione viuentes, ne aliquos pauperes pascant, ne aduenientes suscipiant, aut ne suum censum expensis quotidianis imminuant. Si propter hoc non vult sua reliquere, vt habeat vnde viuat, vt quid accipit vnde rationem reddat? vt quid de peccatis alienis sua multiplicat? Itaque sacerdos, cui dispensationis cura commissa est, non solum sine cupiditate, sed etiam cum laude pietatis, accipit à populo dispensanda: & fideliter dispensat accepta, qui omnia sua, aut parentibus reliquit, aut pauperibus distribuit, aut ecclesiæ rebus adiungit, & se in numero pauperum, paupertatis amore constituit: ita vt vnde pau- Cap. 11.

peribus

peribus subministrat, inde & ipse tanquam pauper voluntarius viuat: Clerici quoque, quos pauperes aut voluntas, aut necessitas, fecit, cum perfectione virtutis vitæ necessaria, siue in domibus suis, siue in congregatione, viuentes, accipiunt: quia ad ea accipienda non eos habendi cupiditas ducit, sed cogit viuendi necessitas. Cap. 12. *Illi autem qui tam infirmi sunt, vt possessionibus suis renunciare non possint, si ea, quæ accepturi erant, dispensatori relinquant, nihil habentibus conferenda, sine peccato possident sua. Quia & ipsi quodam modo sua relinquunt, quando proprijs contenti rebus, nihil eorum quæ labori, vel ordine, suo, deberi arbitrantur, accipiũt. Quod si putãt, ideo accipi debere, eorum quæ conferuntur ecclesiis, portionem, ne eam videantur abijcere: se vero non posse sua relinquere, quod eis deforme sit inter suos, pauperes reddi, nouerint esse deformius, possessores de eleemosynis pauperum pasci.* Cap. 13. *Heu quam subtiliter nos ille decipiendi artifex fallit, quanta ea citate oculos nostræ mentis obducit, ne discernamus, gaudendi, auidi, vnde iustius gaudeamus: aut ne cupientes augeri diuitijs, nouerimus quas quibus incomparabiliter præferamus? Ille nobis sunt ambiendæ diuitiæ, quæ nos ornare possint, pariter & munire: quas nec acquirere possumus inuiti, nec perdere: quæ nos contra hostiles impetus armant, à mundo disterminãt. Deo commendant, ditant animas nostras, atque nobili-*

nobilitant, nobiscum sunt, intra nos sunt. Diuitiæ nostræ credendæ sunt, pudicitia, quæ nos pudicos: iustitia quæ iustos: pietas, quæ pios: humilitas, quæ humiles: mansuetudo, quæ mansuetos: innocentia, quæ innocentes: puritas, quæ puros: prudentia, quæ prudentes: temperantia, quæ temperantes: & charitas, quæ nos facit Deo & hominibus charos; virtutum potentes, seculi contemptores, ac bonorum omnium sectatores. Propter hoc eis qui militant Deo fugiendæ sunt ex toto corde diuitiæ, quas qui habere volũt, sine labore non quærunt, sine difficultate non inueniunt, sine cura non seruant, sine anxia delectatione non poßident, sine dolore non perdunt. Apostolus autem Christi militibus dicit, Volo vos sine solicitudine esse: &, Radix omnium malorum est auaritia. Quam quidam appetentes, errauerunt à fide, & inseruerunt se doloribus multis. Quapropter expedit facultates ecclesiæ poßideri, vt inde viuant, qui non sæculo, sed Deo, seruiunt: De talibus dicere videtur Apostolus, Qui in sacrario operantur, quæ de sacrario sunt, edunt: & qui altario deseruiunt, cum altario participant. Qui nisi hoc de contemptores facultatum suarum vellet intelligi, nunquam secutus adiungeret, Ita & Deus ordinauit his qui Euangelium adnunciant, de Euãgelio viuere. De Euangelio viuunt, qui nihil habere proprium volunt, qui nec habent, nec habere concupiscunt, non suorum,

1 Cor. 7.
1 Tim. 6.
Cap. 14.
1 Cor. 9.

sed

ſed communium poſſeſſores. Quid aliud eſt de Euangelio viuere, niſi laborantem, inde vbi labo-
Cap. 16. *rat, neceſſaria vitæ percipere? Propter quæ, non explendis voluptatibus, ac fouendis, ſed congregandis fratribus, aut alendis, expedit facultates eccleſiæ poſsidere, vt vno ſolicitudines omnium in ſua ſocietate viuentium ſuſtinente, omnes, qui ſub eo ſunt, fructuoſa vacatione potiantur ſpiritualiter, & quiete Proinde quem poſsidendi delectat ambitio, Deum, qui poſsidet omnia quæ creauit, expedita mente poſsideat, & in eo habebit, quæcunque habere ſancte deſiderat. Sed quoniam nemo poſsidet Deum, niſi qui poſsidetur a Deo, ſit ipſe primitus Dei poſſeſsio, & efficietur ei Deus poſſeſſor, & portio. Et quid poteſt eo eſſe felicius, cui efficitur conditor, cenſus, & hereditas eius dignatur eſſe, ipſa diuinitas? Quid vltra quærit, cui omnia ſuus cōditor ſit? aut quid ei ſufficit, cui ipſe non ſufficit? Hunc poſsidebat, & ab illo poſsideba-*
Pſal. 118. *tur, ille qui dicebat in ſpiritu, Portio mea Domi-*
Pſal. 15. *nus, dixi cuſtodire legem meam. Et, Dominus pars hereditatis meæ, & calicis mei. Nunc autem quod Chriſtiani temporis ſacerdotes, magis ſuſtinent, quā curant, poſſeſsiones eccleſiæ, etiā in hoc Deo ſeruiunt: quia ſi Dei ſunt ea quæ conferuntur eccleſiæ, Dei opus agit, qui res deo cōſecratas, nō alicuius cupiditatis, ſed fideliſsimæ diſpenſationis, intentione, non deſerit.* Hæc ſunt, quæ vtcunque copioſe ex

Proſ-

Prosperо transumpsi, quæ tamen bonæ voluntatis Canonicus non fastidiet, si ea defæcato animo legere ac ruminare dignetur.

Gelasius Pontifex, Augustini discipulus, Canonicum ordinem in Italia instaurauit.

Cap. X.

ACcedat Fulgentio & Prospero duobus clarissimis diui Augustini discipulis, & tertius. Quem ego e reliquorum numero Gelasium seligo, Romanum Pontificem, eo quod is non tantum Canonis & regulæ diui Augustini, præceptoris sui, obseruantissimus fuerit, sed & Canonicum ordinem in Italia instaurauerit. Qua de causa Canonici Lateranenses, in natali eius die collecti, orant, *Deus qui per beatum Gelasium confessorem tuum atque Pontificem, Canonicum in Italia ordinem instaurare dignatus es, fac nos semper, quæsumus, eius digna imitari conuersationis insignia, per Christum Dominum nostrum.* Huius itaq; sanctissimi Pontificis hæc est in eadem Lateranensi ecclesia, de Canonico ordine, historiæ series. *Inualescente post obitum beatissimi pa-* Lectione *tris nostri Augustini, sub Genserico, VVandalorum* 4, & 5. *rege, Arianæ sectæ perfidia, cum is vniuersam iam Aphricam suo subiugasset imperio, post cruentam nimis clericorum ac catholicorum stragem plurimi diui patris Augustini discipuli, & alumni, per varias propagati ecclesias,*

(inter

(inter quos Gelasius, patre Valerio natus) diuina reuelatione, primū Neapolim, deinde & Romam, peruenerunt. Qui perbenigne omnes à Leone primo excepti, atque in ecclesia Lateranensi collocati, Canonicum ibi ordinem, iuxta diui patris nostri Augustini regulam, & saluberrima instituta, instaurare cœperūt. Vbi diutissime postea floruerunt, & per octingentos annos ibidem perstiterunt, plurimique ipsis ad summum Pontificatum, aliosque inferiores episcopatus, ob præclara eorum merita sunt assumpti: licet erecti postea: denuo restituti: adhuc eiecti, nomen tamen & titulum, & omnia illi ecclesiæ concessa priuilegia, Apostolica concessione retineant. Gelasius itaque, cum quam plurimos ibi annos, mira sanctitatis ac eruditionis opinione, vitam egisset, mortuo Felice tertio, ad summum Pontificatus apicem est electus. Qui Pontifex factus, clerum quàm maxime amauit, & auxit, ordinemque præcipue ipsum Lateranensem locis, & priuilegijs, ampliauit, atq; decorauit. Pauperum curam tantam habuit, vt nedum præsentium, sed & longe positorum, nomina scripta haberet, eisq; omnibus, quam maxima poterat, liberalitate subueniret.

Canonicum ordinem à monastico semper distinctum fuisse
Cap. XI.

Etsi

ETsi autem ex superioribus discamus episcopalem domum Hipponensis ecclesiæ non tātū fuisse sub diuo Augustino domicilium,& cœnobium Canonicorum,sed etiam proprij nominis monasterium, eo, quod clerici eius domestici,non tātum Canonicam,sed etiā monasticam vitam sub eius regula & obedientia profitebantur, attamen in eius quoque episcopatu,& sub ipso episcopo notabilis fuit inter clericos siue canonicos,& monachos,distinctio. Etsi enim in sua familia atque domo nullos voluerit habere clericos, nisi qui altiore pietate canonicæ vitæ monasticam coniungerent, iuxta regulæ à se factæ præscriptum,noluit tamen fidelis & prudens ecclesiæ suæ administrator,cuiquam pręscribere,qui extra eius domum clericali vita contentus esse vellet. Et quamuis hoc fundamento iacto, multi alij clericorū conuentus,eiusdem pietatis æmuli,vtramque vitam profiteri voluerint, semper, tamen & per omnes diœceses,librum fuit clericis,sui ordinis functione,atque vita,contentos esse, & si perfectior vita non arrideret, liberum eis fuit Canonicè in suis domibus, aut in congregatione non monastica, viuere.

Imo quamuis ab initio ea soleat esse monachorum & clericorum distinctio,quod monachi, iuxta nomen suum, extra vrbem solitarie morari soleant, & vno fere sacerdote à quo communionem acciperent contenti essent, nec in turbis hominum,nisi vrgente necessitate, conspiciebantur; Sciebant enim magni Antonij verbum esse, *Sicut pisces tactu terræ tabescunt, sic gloriam monachorum ad vrbes accedendo fœdari.* Clerici vero sub obedientia episcopi,in iuuanda atque curanda plebe, *Lib. 1. tripartita 1. cap. 11.*

plebe, omnem ſolicitudinem ſuam, velut adminiculatores ipſius epiſcopi, libenter impendebant, ideoque in ciuitatibus & populis habitare cogebantur: poſtea tamen, ſuadente id publica vtilitate, & exigente aliquando neceſſitate Canonicorum & monachorum profeſſio commixta eſt. Quando Canonici quidam, ad Apoſtolicam perfectionem anhelantes, communi ſuæ vitæ, clericali monaſticæ vitæ fulgorem, ſolemni interpoſito ſacramento, coniunxerunt: alij vero multi, citra votum, ſpontaneè monaſticam vitam profitebantur. Quando item monachi, ſæuiente potiſſimum Arianorum, aliorumque hæreticorum rabie, cum clericis communem patiebantur perſecutionem, & cum eis aut ad necem quærebantur, aut in exilium mittebantur. Tunc enim, in locis tutioribus, qui furorem declinabant, monachi cum clericis, tanta cum animorum concordia, ſub epiſcoporum protectione viuebant, vt diuerſarum congregationum corpora, non niſi vnum cor, vnamque animam, habere viderentur, cum nihil aut hi, aut illi, niſi Chriſtum, ſui mortificationem, & animarum lucra, meditarentur. Quare Fulgentius cum exul in Sardinia, ſimilitudinem magni cuiuſdam monaſterij, monachis & clericis adunatis, ſapienter effeciſſet, eoſque, abſque vlla lite, vidiſſet inter ſe vnanimes conuerſari, idemque in Domino ſapere, catholicæ eccleſiæ per Africam conſtitutæ libertate reſtituta, rediens ad ſuam plebem, ſuadente charitate clericorum, quæ deerant miniſteria reparare volens, probatos ſibi multos ex fratribus monachis ad eccleſiaſticam militiam tranſtulit. Et Gelaſius, ex Canonico ordine ad ſummum Pontificatum euectus, epiſtolam

ſcripſit

ſcripſit ad epiſcopos fratres per Lucaniam, & Brutios, & Siciliam cõſtitutos, in qua docet, qui perurgente neceſſitate ſi defuerint clerici, ad clericale munus eligendi ſint de religioſo propoſito, & diſciplinis monaſterialibus, & qui, maiori cũ ſolicitudine, ex laica cõuerſatione, eccleſiaſticis officijs ſint aggregandi. *Epiſ. 1. to. 2. Conc.*

Ex hac autem ſanctiſſima coadunatione factum eſt vt Canonici, veluti argumentoſæ apes, multa ſanctiſſima inſtituta ex regula ſancti Benedicti, & aliunde, in ſuam regulam, & regularem obſeruationem tranſſumpſerint, & ſub Canonico habitu monachorum vitam perfectè impleuerint. Quòd clerici VVerdenenſes de Ludgero primo epiſcopo Minigardeuordenſi, ſeu Monaſterienſi, & VVerdenenſis cœnobij fundatore, annis ab hinc circiter octingentis, ſtatim poſt eius mortem conſcripſerunt. Verba enim eorum ſunt. *Cucullam ideo non portabat, quia regularem nunquam promiſsionem fecit: Sub canonico habitu, monachorum perfectè vitam impleuit.* *Cap. 1* E quibus verbis colligitur tunc temporis clericis ſub ſuo Epiſcopo aut Præpoſito viuentibus, liberum fuiſſe ſecundum Canones viuere Eccleſiaſticos, aut perfectiores inſtituti monaſtici regulas, eodem in loco, amplecti: Quomodo noſtro tempore, Canonicæ, aut Canoniſſæ, quæ dicuntur, nullam ſuo collegio præficiunt, niſi præuia ſollemni profeſſione, quàm veriſimile eſt, feruente charitate, longè frequentiorem fuiſſe, non modo apud Canonicas, ſed etiam inter Canonicos.

Dum etiam considero primum statum Vltraiectensis cleri, è quo dictus Ludgerus ad episcopatū Monasteriensem fuit assumptus, videntur mihi inter Apostolicos illos viros fuisse proprij nominis monachi, quos in clero viuentes arbitror, non modò monasticam vitam retinuisse, sed ad eandem aut liberè, aut ex voto obseruādam, multos è clerò instigasse. Et Albertus Crātius meminit Vnvvanum archiepiscopum Hamburgensem, tempore sancti Henrici Imperatoris, primùm omnium per suam metropolin cōgregationes apud ecclesias cathedrales, aliasque, ad canonicam perduxisse regulam, quæ antea ex Canonicis, & monachis, mixtæ degebant.

Lib. 4 metropolis, c. 1.

Collegia Canonicorum quare antiquitus dicta sint monasteria.

Caput XII.

EXijs autem quæ iam diximus arbitror vtcunque colligi posse, qua ratione omnia Canonicorum collegia antiquitus dicta sint monasteria. Nam huius rei nonnulli adeo sunt imperiti, vt dum alicubi incidunt in locum quempiam apud superiorum ętatum scriptores, in quo Canonicorum collegium vocatur monasterium, aut errorem esse, aut monasticum ordinem antequam Canonici essent, in eo viguisse, putent, non alia ratione moti, quàm quod videant monasterij nomen illi aliquando tributum esse. Quorum quàm sit infirma, illa, ex nomenclatura desumpta, ratiocinatio, ignorare non possunt, qui animad-

animaduertunt ex vsitata quorundam locutione omnia Canonica collegia olim dicta esse monasteria, siue clericorum monasteria. Extant ad Gerardum primũ eius nominis Cameracensem atque Atrebatensem, coniunctarum tunc temporis Sedium, episcopum, Chronica, circa annum Domini quinquagesimum supra millesimũ cõscripta. In quibus sub illo episcopo nominantur monasteria Canonicorum, Cameraci, Atrebati, vtrumq; in primaria basilica ad honorem beatæ Mariæ: item in villa Barala, Albiniaci, in monte sancti eligij: in castello Duaco, in castro Lenensi, in vico Henin, in castro Valençianis: in villa Maricolis, in villa VVaslero, in villa Fescau/ in vico Crispinio, in villa Condato, in villa Lutosa, in vico Rothnacensi, apud Sonegias, apud Melinas, quas nunc Mechliniam dicimus: nec procul inde monasterium Canonicorũ, quod ex proprijs prædijs vir Dei Gummarus, illustris laicus, struxit. Eum in modum celebratur Traiecti monasteriũ sancti Seruatij: in altero Traiecto monasterium Saluatoris: & ab Ottone quoque primo monasterium beatissimi Martini. Et quid opus est per multa loca discurrere, cum ab Archidiacono annotatum sit cathedrales ecclesias adhuc appellari apud Gallos monasteria?

Chronicõ Cameracense, non dum excusunt.

In donatione anni 944 apud Hedam.

Causa 1, quæst. 3. c. Quæsitum

Et quamuis magna sæpè mutatio facta sit, ob Normannorum & postea Hungarorum, persecutiones, aliasque bellorum iniurias, nonnunquàm etiam ob nimis dissolutam, ac prorsus collapsam disciplinam, vt quibusdã in locis aut clericis monachi, vel hi illis, aut sanctimonialibus viri, vel contra, successerint, notũ tamen est multa ex præcitatis locis ab initio tẽporis, ac institutionis, suæ

in Canonicali professione perdurasse, nec vnquã veri nominis monasteria fuisse, & dum ea vocantur Canonicorum monasteria, omnis dubietatis occasio est sublata, cum non appareat ijs in locis resedisse Canonicos regulares, qui ex dissoluta veteri Canonicorum disciplina postmodum exorti sunt.

Denique clarissimum est statutum Concilij Moguntini sub Carolo magno. *Vt plus non mittatur in monasteria Canonicorum, vel monachörum, aut etiam puellarũ, quam sufficere potest.* Hic enim nominãtur canonicorũ monasteria, distincta a monasterijs manachorum.

Ca. 19. Et Concil. Turonense c. 31.

Vt igitur breuiter expediamus, quo sensu olim Canoniæ, siue Canonicorum collegia, dicta sint monasteria, factum est id per figuratam locutionem, quæ catachresis dicitur. Cum enim clerici à monachis nihil differre in vita viderentur, & simul in loco qui claustrum dicebatur, habitarent, vsu receptum fuit vt eorum loca honoris causa monasteria dicerentur. Sicut hodie castrenses & militares homines omnia monesteria celebriora, & ditiora, etiam si tantum Prioratus esse sciant, non volunt nisi abbatias nominare. Et ego dum Oingniaci essem in Gallicæ Brabantiæ limitibus, vbi beatæ Mariæ Oigniacensis memoriam inuisebam, à domino Priore humanissime retentus, inter cœnandum familiariter rogabam, Prior ne esset, an Abbas, quod in itinere locum sæpius audiuissem abbatiam nominari. Is autem respondebat, se tantum Priorem esse, sed quia conuentus suus opulentus esse reputatur, ideo rustica ciuilitate se à rusticis suis abbatis, & locum suum abbatiæ,

tiæ, titulis, honorari. Quid igitur mirum est si, pari beneuolentia, maiores nostri claustra, & conuentus, non aliter quam monasteria, nūcupare voluerint; potissimum cum certum sit ea veri nominis fuisse cœnobia? Cœnobia enim à communi vita nomen suum accepisse, quam Canonici profiteri, & exacte seruare, solent, notum est ex Græca Græcæ vocis origine, quam me paulo ante Bedæ verbis explicuisse memini. Sed etiam nostro tempore vsu loquendi cœnobium & monasterium, pro synonymis habentur. Quid, quod collegia Societatis Iesu, curiæ beghinarum Belgij, aliaque similia loca, extensiue monasteria dicantur. Cum Patres illius Societatis, vsu loquendi non agnoscamus monachos, etsi tribus votis sese Dei seruitio: Beghinæ vero, laxiores, à curia & regula, dum volunt, resilire possint. Inter quæ, vt id addam, quod maxime & proxime ad rem facit, etiam fratrum domus, atque conuentus, recensentur. Fratres enim, qui vulgo dicuntur, eiusmodi habent à Gerardo magno initiū, Cum is diaconus per diœcesis Traiectensis vrbes prædicaret, multosque ad pietatem traheret, Dauentriæ multos habebat studiosos, qui Patrum libros condigno pretio describebāt. Ex ijs ad instar veterum Canonicorum, qui in communi viuebant, & libentius clerici, aut fratres, quam Canonici nominabantur, congregationem instituit, quam reiecta Canonicorum voce, appellauit fratres, & clericos bonæ voluntatis. Quos ille, vt veteres clericos atque canonicos, in communi, citra professionem, viuere voluit. Cum itaque huiusmodi fratrum conuentus passim inter monasteria numerentur, non mirari oportet pietatem maiorū nostrorum com-

Supra capita 6.

munia habitacula, & clauſtra, clericorum, ſiue canonicorum, quorum inſtitutum hi fratres ſe imitari profitẽtur, monaſteria vſitata locutione nuncupaſſe.

Immo VVolffgangus epiſcopus Ratiſponenſis, cum ante epiſcopatum Treuiris clericorum eſſet Decanus, effecit, vt, quod prius non fecerant, communi menſa, & dormitorio vterentur, in clauſtro vt author vitæ loquitur, ſederent, & lectioni incõberent: Et in omnibus ſeipſum præbebat exemplum, adeo vt ab omnibus non clericus, ſed monachus diceretur. Scribit quoque Gregorius Turonenſis Baudinum Turonis inſtituiſſe mẽſam Canonicorum.

Apud ſurium ad 31. Octobris Cap. 7.

Turo. in fine hiſt. Francorum.

Canonicos ſub obedientia epiſcopi, aut per eum Præpoſiti, vti ſolere communi refectorio & dormitorio.

Caput XIII.

SEd fortaſſis Canonici quidam tam ignari ſunt veteris Canonicæ diſciplinæ, vt neſciant, aut non credant, maiores & anteceſſores ſuos, vti ſolere communi clauſtro, communi refectorio, & dormitorio, & tam regulariter vixiſſe, vt eorum vita monachali vita non videretur eſſe inferior. Quos ego vt doceam, & vt Canonicis ob oculos ponam, obſcuratum colorem optimum noſtri ordinis pauca è multis adferam. In primis èſt ſtatutum Concilij Moguntiacenſis, quod ſub Carolo magno habitum eſt, *In omnibus, quantum humana per-*

na permittit fragilitas, decreuimus, vt Canonici clerici canonice viuāt, obseruantes diuinæ Scripturæ doctrinam, & documenta sanctorum Patrum, & nihil sine licentia Episcopi sui, vel magistri eorum, incomposite agere præsumant. In vnoquoque episcopatu simul manducent, & dormiant, vbi his facultas faciendi suppetit, vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt. In suo claustro maneant, & singulis diebus mane, Prima Hora, ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur. Ad mensam vero similiter lectionem audiant, & obedientiam secundum Canones suis magistris exhibeant

Cap. 9, tomo 3. Concil. et Gratianus dist. 32. ex lib. 5. Capitulariū.

Quo etiam pertinet decretū Turonensis synodi: *Canonici & clerici ciuitatum, qui in Episcopijs conuersantur, considerauimus vt in claustris habitantes simul omnes in vno dormitorio dormiant, simulque in vno refectorio reficiantur, quo facilius poßint ad Horas Canonicas celebrandas occurrere, ac de vita & conuersatione sua admoneri, & doceri. Victum, & vestimentum, iuxta facultatem Episcopi, accipiant, ne paupertatis occasione compulsi per diuersa vagari, ac turpibus se implicare negotijs, cogantur.*

Cap. 23.

Et Aquisgranensis synodus exigit a præposito cleri, vt claustra, in quibus Canonice viuendum est, firmis vndiq; circundet munitionibus, vt nulli omnino intrandi, aut exeundi, nisi per portam pateat aditus: sint etiam interius dormitoria, refe-

Cap. 117.

ctoria, cellaria, & cæteræ habitationes, vsibus fratrum in vna societate necessariæ.

Causa 12. quæst. 1. Et vt prioribus decretis posteriora iungamus, vt clarius constet vigorem & rigorem Canonicæ & communis vitæ per aliquot secula perdurasse, est, apud Gratianum, Leonis noni decretum. *Necessaria res existit vt iuxta Ecclesiam claustra constituantur, in quibus Clerici ecclesiasticis disciplinis vacent. Itaque omnibus vnum sit refectorium, ac dormitorium, seu cetera officina, ad vsus clericorum necessaria. Ministri vero post Episcopos super eos eligantur, quorum vita, atque doctrina, illos potius exornet, quam dehonestet.*

Dist. 32. Cap. Præter hoc. Alexander quoque secundus, qui anno plus minus centesimo: vltra millesimum claruit, dum loquitur de Subdiaconis, Diaconis, & præsbyteris, præcipiendo statuit vt hi prædictorum ordinum, qui præcessoribus suis obedientes castitatem seruauerint, iuxta ecclesias (sicut facere oportet religiosos clericos) simul manducent, & dormiant, & quicquid eis ab ecclesia competit, hoc communiter habeant. Fit quoque in vita sancti Rigoberti, mentio Canonici panis.

Ad 4. Ianuarij. Pauca sunt hæc, sed clara, priscæ pietatis, ac communis inter Canonicos vitæ, documenta. Quæ si quibusdam non sufficiant, plura illi annotent ex Corpore iuris Canonici, ex tomis Conciliorum, & ex antiquis ecclesiarum monumentis.

Quo

Quo tempore Canonici communem vitam deseruerint.

Caput X I I I I.

SVaue autem istud communis vitæ iugum Canonici sibi excusserũt, affluẽtibus opibus: pietate ac cõcordia decrescentibus. Meminit eius dissolutionis abbas Trithemius, in Hirsaugiæ chronicis, hunc in modum, *Sub Theodorico archiepiscopo Treuirensi, Canonici maioris ecclesiæ ibidem abiecta vita regulari, quam huc vsque in eadem ecclesia maiores eorũ continuauerunt desierunt esse regulares, & facti sunt, nomine, & cõuersatione, seculares. Quorum exemplo malo Canonici quoq; sancti Paulini Treuirenses, sancti Castris in Confluentia, Moguntinenses, VVormatienses, Spirenses, & compluriũ aliarum ecclesiarum, diuersis quidẽ temporibus, sed vno impietatis spiritu, regularis vitæ cõmunitatem abiecerũt.* *Trith. in Hirsaugiensi chro. ad annum 975.*

Idem notatur in tomo primo epitomes de omnibus Germaniæ episcopatibus, qui Noribergæ anno 1549, à dãnatę lectionis scriptore, editus est. *Sub Baldrico,* inquit (vigesimo secundo episcopo Spirensi) qui decessit anno nõgẽtesimo, octuagesimo septimo cœperunt *Canonici Nemetum (quemadmodum etiam VVormacienses, & Moguntini) monastica vitæ professione abiecta, seculares fieri, seorsum habitare, ac propria habere, & annuos prouentus inter se distribuere.*

Hæc

Hæc Bruſſchius, vbi tamen ſic loqui videtur, ac ſi Canonici, Spirenſes, vt aliarum in Germania cathedralium eccleſiarum, antea monachi fuiſſent. Quod ſi putauit, multum à vero aberrauit. Ideoque circumſpectius locutus eſt de vigeſimo primo Paderbornenſi epiſcopo agens. *Bernhardus,* ait *quartus huius hominis, paſſus eſt, vt Canonici Paderbornenſes obſeruantiam regularem, quæ hactenus viguerat, mutarent in ſecularium Canonicorum ſtatum. Obijt anno 1 2 5 4.* Et ſimilia de Treuirenſibus habet, in centuria prima mona-
Fol. 46, 41 ſteriorum Germaniæ maxime illuſtrium.

Senſim autem hæc diſciplina perijt. Leodij feruor ſeſe remiſit ſub Alberone ſecundo; ſed magis deperijt ſub Radulpho, qui diſciplinam penitus collabi permiſit, etſi acerrime à Lamberto quodam, qui ſpiritu prophetię clarebat, ad moneretur. Idem rigor ſenſim ſeſe remiſit Traiecti. Et videtur ſub Godebaldo epiſcopo prima præbenda data eſſe Decano maioris eccleſiæ, iuxta commune cōſilium Prioratus ſui, vt loquuntur, in laboris temporalis conſolationem. Vnde quibuſdam renitentibus, Colonienſis eccleſia reſcripſit.

Coloniēſis eccleſia in Venatorio Mamburtur-

Dominis ac fratribus ſanctæ Traiectenſis eccleſiæ tam maioribus, quam minoribus, ſalutem. Vt præpoſitura, Decania, vel aliqua clauſtralis obedientia, pro beneficio habeatur, vel beneficium nominetur, eccleſiæ noſtræ conſuetudo non patitur

Sed hæc etiā Coloniæ immutata ſunt, ſub Philippo quadrageſimoquarto epiſcopo. Laxiorib⁹ enī præualētib⁹, alij, in regulari obſeruatione permanere volētes, Nuſſienſe monaſterium inchoarūt.

Labo-

Laborarunt autẽ nonnulli illis temporibus vt inter Canonicos communem vitam, aut cõseruarent, aut collapsam reuocarẽt. Inter quos fuit sanctus VVolffgangus, qui cum esset episcopus Ratisponensis, in sua ecclesia Canonicæ vitæ collapsa instituta reformauit, in id intentus vt simul in refectorio ederent, & extra claustrum horis incongruis ne exirent, neque silentij disciplinam negligerent. Cæterùm paulatim, bene reformata, ijs quoque in locis conciderunt.

Ad 31 Octobris in vita eius ca. 20.

Ex Canonicorum proprietaria vita exortam esse Canonicarum liberam vitam.

Caput XV.

EX libera autem & soluta Canonicorum vita nata est apud infirmiorem sexũ dignitas, seu potius præeminentia, Canonicarum. Quas Teutonia frequentes habet, & vulgari voce Canonissas nuncupat. Quamuis enim nonnulli earum nomen, & originem, referãt in Ludouici Pij tempora: inter quos est Gobelinus, auctor vitæ sancti Meinulphi: alij autem in anteriora tempora, eo quod Iustinianus nominet mulieres canonicas: certum tamen est liberam & priuatam earum vitam ante defectum Canonicorum inauditam fuisse.

Gobelinus ad 5 Oct. to. 5. Surij

Nouella 59.

Ioannis enim Nider ordinis Prædicatorum Theologus, & Cõcilij Basiliẽsis ad Bohemos legatus, scribit se summã inquisitionem fecisse super sæcularium Canonissarum origine, nec inuenire potuisse, nisi quod ex prima fundatione fuerint

Io. Nider de varietate religionum. MS.

sanctimo-

quarum ordo, ait Gobelinus, in concilio prouinciali, apud Aquisgranum, recens institutus erat. Quam fundationem Ludouicus Imperator ratam habens, suo annulo obsignauit. *Gobelinus ad 5. Oct.*

Quod autem Gobelinus ille scripserit, anno tertio Imperij Ludouici Canonicarū ordinem recenter institutum esse in Cōcilio prouinciali, fortassis significare vult ordinem, qui antea fuerit in Ecclesia Dei, tum primum à Concilio prouinciali approbatum esse, aut innouatam esse ordinis eius regulā, vt eo censu rectè institut⁹ esse dicatur.

Alioqui non facile admittent nostrates Canonicæ, vel Niuellenses, vel Audenses, hunc ordinem tum primum cœpisse, cum sese asserant, (quod & claris documentis dicunt se probare posse,) ex institutione fundatricum suarum, Gertrudis & Begghæ, Canonicæ esse institutionis, & ab initio laxam habuisse regulam, distinctā à sancti Benedicti & quacunque alia monasticæ professionis, regula. Has autem clarissimi nominis fundatrices, cum Pipini primi Brabantiæ Ducis, proles fuerint notum est Ludouici Imperatoris, cuius demum Pipinus, eius nominis tertius, auus fuit, tempora multum antecessisse.

Omnia autem huiusmodi collegia habebant regulam aliquam ex Augustino, Hieronymo, Benedicto, Canonicis constitutionibus, aut aliunde, conscriptam, secundum quam regulariter quādiu in illa congregatione manere volebant, viuere cogebantur. Inde illud est in tertio Conciliorum tomo, Eugenio secundo & Concilio Rhemensi asscriptum, *Statuimus, vt sanctimoniales, & mulieres, quæ Canonicæ nominantur & irregulariter viuunt, iuxta beatorum Benedicti & Augustini* *Cap. 5.*

regulam

regulam, vitam suam in melius corrigăt, & emendent, superfluitatemq́; vestium, & inhonestatem, deserant. Quod si non impleuerint, si qua ipsarum mortua fuerit, Christianorum careat sepultura. Probibemus etiam ne in earundem collegia aliqua nisi quæ regulariter fuerit victura, recipiatur.

Apud Surium, 5, Febr: in 11 editione

Sicut autem inter Canonicos liberior, & dissolutior, vita, multis tantopere displicuit vt potius ad monasticam eligerent transire professionem, quam in ea remanerent, ita etiam accidit inter Canonicas. Adelheidis, Bertrada sorore sua teste, Coloniæ in cænobio Virginum sub regulari institutione sancti Hieronymi; Deo mancipata erat. Inde à parentibus ad Vilicense monasterium euocata eandem liberiorem regularem institutionem initio seruauit, sed mortua matre regulam sancti Benedicti amplexa est.

Sigeb. ad An. 820:

Habebant autem sanctimoniales Canonicæ siue, vt Sigebertus loquitur, clericales sanctimoniales, quarum vberes erant prouentus, subordinatos sibi clericos, qui exequebătur, quod Ecclesiasticus ordo fœmineo sexui non permittit. Hi quoque ex communibus monasterij bonis alebătur. Sed cum alij clerici in proprietaria vita passim prçualerent, voluerunt & isti sibi præbendas assignari. Hoc autem proprietatis venenum, etiam castimoniales, à regulæ obseruatione deficientes, infecit. Quæ cum clericis suis, in præbendis, pares esse volebant.

Ex quo Niuellense sanctæ Gertrudis monasterium, cum ad laxiorem anhelaret vitam, obtinuit quidem a Paschali secundo breuem honestæ vitæ formulam, sine obligatione voti alicuius, manente tamen vita communi sub regimine Abbatissæ.

Sed non multo post , anno videlicet millesimo, centesimo trigesimo sexto, Lotharius bona in tres partes diuisit, vnam, hospitalibus: secundam, dominæ Abbatissæ, tertiam vero, assignauit congregationi, in qua pro septuaginta duobus, fratribus, & sororibus, totidem assignauit præbendas. Hunc in modum famosissimum sanctæ Gertrudis monasterium in Capitulum vtriusque sexus degenerauit.

Et passim huius ordinis Canonicæ, suos confratres, in præbendis pares, in dignitate, propter sacerdotium, longe superiores, vix alio loco habere dignantur, quam vt sacellanos suarum generosarum dominationum, quamuis quædam inter eas sint nuptiarũ expectatrices, & solicitatrices. Quod ex eo capite fieri arbitror, quia abbatissæ iurisdictioni subsunt.

Cæterum Romana Sedes, vt docte Claudius Espencæus tractat, huiusmodi canonicas sæculares, nõ renũciantes proprio, nec professionẽ aliquam facientes, Ordinario loci subiectas, tolerat, non tamen earum statum, regulam, aut canonem, approbat. De quo Bonifacius in Sexto, Capitulo, Indemnitatibus, & Clemens quintus, in suo opere, Capitulo Attendentes, sua Decreta iam olim tulerunt.

Cap Cum ex dilecta de maioritate. Lib. 2. de cõtinentia Cap. 12.

De regula Canonicorum.

Caput XVI.

VT autem ad Canonicos redeam, quando illi, sub obedientia episcopi, communi vtebantur refectorio, & dormitorio, tantaque fulgebant pietate, & districtione, vt à monachis differre non viderentur, nisi in habitu: (Sciebant

enim, vt in Concilio Aquisgranensi legitur, valde
Cap. 125. indecorum esse, canonicum vestem monachicam
induere, nisi tamen cum veste etiam propositum
voluerit assumere:) Quando, inquam, talis eorum
erat vita, facile colligitur, eos non vulgarem aliquam
regulam, secundum quam Canonice viuerent,
Propositũ pro vota. habuisse, sed omnino talem, quæ eorum professionem, sanctamque vocationem deceret. Regula
autem eorum erant antiqui Canones, qui vt in prouincialibus synodis, secundum varietatem locorum & temporum fuerunt, vel mutati, vel multiplicati, secundum hoc in distinctis diœcesibus, distinctæ fuerunt regulæ, omnes tamen ad eundem scopum tendentes, &, quo ad substãtiam canonicæ vitæ, vna erat & eadem regula. Hinc in Rhemensi synodo, quæ habita est sub Carolo, pijssimo Cæsare, anno octingentesimo decimo tertio,
Cap. 8. lecti sunt sancti canones, vt quisque canonicus legem, vitamque suam, minime ignoraret.

Huius autem regulæ, primum fundamentum est humilitas, regina & mater omnium virtutum.
Epst. 56. Notissima est enim diui Augustini sententia. *Si interrogares quid primũ videretur in Christianæ religionis præceptis obseruari debere, quid secũdo, quid tertio, nihi me aliud respõdere nisi humilitatẽ liberet, etsi forte alia dicere necessitas cogeret.* Hanc proinde matrem omnium virtutem, cuius
Cap. 7. duodecim gradus Benedictus in sua regula describit, quam primo loco ab omnibus Christianis excolendam esse sciuerunt, vt veros decet Christi discipulos, primo loco excoluerunt. Vnde in libro, cui titulus est, Canonica regula secundum Romanam curiam, primum caput est de humilitate.

Neque aliud est initium regulæ diui Augusti-

ni, etsi alijs vtatur verbis. *Primum*, ait, *propter quod in vnum estis congregati, vt vnanimes habitetis in domo Domini, & sit vobis anima vna, Et cor vnum, in deo.* Quo etiam pertinet exordium Benedicti, *Ausculta o fili præcepta magistri, & inclina aurem cordis tui, & admonitionem pij patris libenter excipe, & efficaciter comple, vt ad eum per obedientiæ laborem redeas, a quo per inobedientiæ desidiam recesseras.*

Ex amore autem singulari humilitatis, & coniunctarum, atque cohærentium virtutum, quæ sunt, charitas, concordia; obedientia, & reliquæ ex Euangelio notæ, colligitur, eminentem fuisse eorum vitam.

Quales fuerit virtus, & vestitus, antiquorum Canonicorum.

Cap. XVII.

ET quod ad victum communem attinet, omnes fuerunt ęquales Cum enim in nonnullis cōgregationib⁹ irrationabiliter & indiscrete aliud fieret, & quibusdam clericis maior annona daretur, Aquisgranensis synodus voluit huiusmodi factum, gulæ, imo auaritiæ, causa inolitum, falce iustitiæ resecari, & æquitatis censura ab eis locis prorsus abdicari. Est nempe rationabile, iustumq; corā Deo & hominibus, vt in vnaquaq; Canonica congregatione à minimo vsque ad maximum, cibum & potum omnes æqualiter accipiant. Quanquam enim plerique subditorum à prælatis, rebus quibuslibet alijs plus cæteris merito soleant honorari, in hac tamen societate seclusa personarum acceptione, vna debet cibi & potus æqualitas esse.

Non est autem personarum acceptio, sed infirmitatis tolerantia, quod pulchre diuus Augustinus in regula annotat, si eis qui venerunt ex moribus delicatoribus, aliquid alimentorum, vestimentorum, opermẽtorum, datur quod alijs fortioribus & ideo felicioribus, nõ datur. Illud, deinde subijciunt Aquisgranenses Patres, *congruentissime & rationabiliter tenendum esse censuimus, vt in singulis locis in quibus socialiter canonicæ Domino militatur, panem, & pulmentum, & eleemosynarum partes, equaliter Canonici accipiant. Et quãquam decentissimum foret, vt similiter æque p̃ptum acciperent, non tamen id æqualiter in omnibus locis, nec ecclesiarum diuersissimæ facultates, nec terrarum qualitates, nec euentuum sinunt fieri posse varietates.*

Cap. 12.

Cap. 122.

Canonici quoque veteres sicut in cæteris, ita in cultu vestrum, modum tenebant discretionis. Qua de re caput extat 124 in citata synodo. In quo inter alia legitur: *Pensandum nobis summopere est de cultu vestium, quod culpa sit hoc etiam viros appetere, a quo curauit. Pastor Ecclesiæ & fœminas probibere, Quapropter oportet Canonicos sanctarum scripturarum authoritati parere, sanctorumq́ Patrum documenta vigilanter perpendere, vt humilitatem, quam corde gestant, actu habitu, incessu, ipsa etiam equitatione, religiosissime demonstrent. Non enim specialiter præsumi debet ab aliquo, quod non generaliter teneatur ab omnibus, id est, nec plus iusto cultior vestis, nec insolita atq; deformis.*

1. Petri 3.

formis. Inter vtrumq; enim virtus discretionis moderatissime tenẽda est. Quæ plenissime in vita beati Augustini; in laudem illius prolata, ita legitur, Vestes eius, & calciamẽta, & lectualia, ex moderato & cõpetenti habitu erant: nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: medium tenebat, neq; dexteram, neq; ad sinistram declinans. Quod Germani nostri dicunt Noch y/ noch fij. Cap. 22.

Solent autem qui in clero erant seniores, singulis annis, nouas vestes accipere: & quas reddebant, habebant iuniores. Id enim legitur in Canonica Romanæ Ecclesiæ regula. Cap. 39.

Ex his aũt & similibus citationibus, à lõge inspicere possum⁹, quales esse soleãt nostri antecessores Quos vt hac in parte imitemur hortari nõ audeo. *Venenum enim diuitiarũ vt vere quidam, inclinãtis temporis scriptor, testatur, desperatum in clero induxit plagam.* Ideoq; si nostrorũ temporum Canonicis, antiquos canones obijcere vellem, de obedientia sub episcopo, de communi dormitorio, communi mensa, frugali victu; & potu, claustrali conuentu, & de alijs nonnullis, eò pertinentibus, vereor ne à multis audirem, hæc nunc non canones, sed paleas, esse. Quare vt me nostrorum Canonicorum humoribus, quoad licet, attemperem, rogatos velim omnes, vt in victu, in vestitu, atque in omnibus suis actionibus, medium teneant, & neque ad dexteram, neque ad sinistram, declinent: Virtus enim in medio consistit. Iuxta vulgares sectentes, Ne quid nimis: ne quid minus: medium tenuere beati: &, Discretio est auriga virtutum. Quamquã igitur certus victus, atque vestitus, Ca-

nonicis præſcribi non debeat, quod hæc ex locorum, temporum, & perſonarum, varietate mutentur, ſemper tamen nos meminiſſe oportet, quod
Cap.12. Auguſtinus in tertio doctrinæ Chriſtianæ libro monet, ne rebus prætereuntibus, aut reſtrictius vtamur, aut in earum vſu metas cõſuetudinis bonorum, inter quos verſamur, excedamus. Et, iuxta
1. Tim.3. ta Apoſtolum, oportet nos irreprehenſibiles eſſe, domui noſtræ bene præeſſe, & teſtimonium habere bonum, ab ijs qui foris ſunt.

Caſtitatem ſummopere à Canonicis colendam eſſe. *Caput XVIII.*

BOnum autem nomen tueri non poterit Canonicus, ſi per incontinentiam ſeipſum maculet, quem in primis caſtum, & pudiciũ, eſſe oportuit. Vnde nullæ extant in vlla eccleſia Canonicæ regulæ, in quibus non videre liceat laudabiles de Canonicorum continentia conſtitutiones. Hac autem in parte quanta fuerit maiorum noſtrorum ſolicitudo, ſi eorum monumenta legamus, clare intelligimus Fœminarum intra do-
Cap.26. mum Auguſtini nulla vnquã, Poſſidio teſte, conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror, neque patrui eius filiæ, & fratris eius filiæ, Deo ſeruientes, quamuis his perſonas ſanctorum Epiſcoporũ Concilia poſſe cum epiſcopis, vel præsbyteris, conuerſari, conceſſiſſent Ne autẽ vel Epiſcopus, vel quilibet clericus, tentationibus humanis poſſet perire, aut certè malis hominũ ſuſpicionibus peſſimè diffamari, ob hoc dicebat nũquã debere fœminas cũ ſeruis Dei, etiã caſtiſſimis, in vna manere domo, ne aliquod ſcandalum, aut offendiculum, hoc tali exemplo poneretur infirmioribus. Et ſi forte ab aliquibus fœminis, vt videretur, vel ſalutaretur, rogabatur, nunquam, ſine clericis teſti-

bus,ad eum intrabant,vel solus cum solis vnquam est locutus,nec si secretorum aliquid interesset.

Quid vero Hieronymus? *Hospitiolum tuum,* ait *aut raro,aut nunquam,mulierum pedes terãt. Omnes puellas & virgines Christi, aut æqualiter ignora, aut æqualiter dilige. Ne sub eodem tecto mansites, nec in præterita castitate confidas. Nec Samsone fortior,nec Dauid sanctior, nec Salomone potes esse sapiẽtior. Memento semper quod paradisi colonũ de possessione sua mulier eiecerit. Aegrotãti tibi quilibet sanctus frater assistat, & germana vel mater,aut probata qualibet,apud omnes fidei. Quod si huiusmodi nõ fuerint consanguinitatis, castimoniaque personæ, multas anus nutrit ecclesia, quæ & officium præbeant,& beneficiũ accipiant,ministrando, vt infirmitas quoq; tua fructũ habeat eleemosynæ. Scio quosdam conualuisse corpore,& animo ægrotare cæpisse. Periculosè tibi ministrat,cuius vultũ frequenter attẽdis. Si propter officium clericatus,aut vidua a te visitatur, aut virgo nunquã domũ solus introeas. Tales habeto socios, quorũ contubernio non infameris. Si lector,si acolythus,si psaltes,te sequitur,nõ ornentur veste,sed moribus: nec calamistro crispent comas, sed habitu pudicitiã polliceãtur. Solus cũ sola,secreto & absq; arbitro, vel teste,non sedeas. Si familiarius est aliquid loquendũ, habet nutricem, maiorem domus, virginem, viduam, vel maritatam: non est tam inhumana , vt nullum præter te habeat , cui*

se audeat credere. Caueto omnes suspiciones, & quicquid probabiliter fingi potest, ne fingatur ante deuita. Crebra munuscula, & sudariola, & fasciolas, & vestes, ori applicitas, ac degustatos cibos, blandasq; & dulces literulas, sanctus amor nō habet. Mel meum, lumen meum, meum desiderium, omnes delicias, & lepôres, & risu dignas vrbanitates, & cæteras ineptias amatorum, in comœdijs erubescimus, in sæculi hominibus detestamur: quanto magis in monachis, & in clericis, quorum & sacerdotium proposito, & propositum ornatur sacerdotio.

Idem Oceano.

Prima tentamenta clericorum, sunt, fœminorum frequentes accessus. Iste sexus repræhensibiles exhibet clericos. Quid tibi reuera cum fœminis, qui ad altera cum Domino fabularis? Te in publico cuncti, te in agro rustici, arratores, ac vinitores, quotidie lacerabunt, si, contra depositum fidei, cum fœminis habitare contendis. Et quia, vt arbitror, concupiscis irrepræhensibilis inueniri, testimonio bono munire. Ianua diaboli, via iniquitatis, scorpionis percussio, nociuumq; genus, est fœmina. Cum proximat stipula, incendit ignem. Flammigero igne percutit fœmina conscientiam pariter habitantis, exuritque fundamenta montium. Ego iudico, si cum viris fœminæ habitent, viscarium non deerit diaboli. Ex eis aucupatum est ab initio peccatum. Ferreas mentes libido domat.

Si alli-

Si alligauerit quis ignem in ſinu ſuo, veſtimenta eius non comburentur? aut ſi ambulauerit quis ſuper carbones ignis, pedes ſuos non comburet? Mihi crede, non poteſt toto corde habitare cum Domino, qui fœminarum acceſſibus copulatur. Hæc, & alia, ſcribit Hieronymus, quæ etiã Aquiſgranenſis ſynodus ad inſtructionem clericorum ſuis capitulis inſeruit.

Cum autem pro caſtitate cleri non modo multi extent canones, ſed integri tractatus, tum à veteribus, tum potiſſimum à noſtri temporis doctoribus contra impuros hæreticos, qui vellent ſecum in cœno libidinum omnes volutari, eruditiſſime conſcripti ſin[illegible] qui paſſim noti ſunt, hoc tantum ex antiquitat[illegible] iecero, in quibuſdam Canonicorum regulis d[illegible]etum fuiſſe quod ſi quis tempore canonicæ vit[illegible] ut antea, cum aliqua, humana fragilitate pecca[illegible]t, non permittebatur vt in vna villa (hoc eſt, [illegible]ica phraſi, intra idem oppidum) pœniteret. Quo etiam ſpectat quod cum in vno dormitorio dormire Canonici omnes ſæparatim ſoleant ſancitum erat lecticas iuniorum lecticis ſeniorum intermiſcendas eſſe, vt videlicet melius à nocturnis phantaſmatibus præſeruarentur.

Itaque quia maximè miniſtros Dei decet ſanctitudo, iuxta illud, *Sancti eratis quoniam ego ſanctus ſum*, quicunq; in clerum Dei adoptati ſumus, mundi Deo ſeruiamus, ne per incontinentiã grauiſſimum reportemus iudicium Dei: Et, ſi veteres illi canones, pro noſtra continentia ſcripti, nonnullam, ex temporum & regionum varietate, relaxationem admittant, ſic ſaltem viuamus, vt coram Deo & hominibus irreprehenſibiles ſimus. Leuit. 11. 1. Petr. 1.

Lib. 8. de legibus. Sathanicum est enim & non Christianũ verbum, Si non castè, saltem cautè, etsi id Plato se præclare scripsisse putet:

Horas Canonicas religiosè à Canonicis persoluendas esse. *Caput. XIX.*

QVia autẽ ociositas inimica est animæ, & fomes malarũ cogitationum, hinc Canonicos negotiosos esse oportet in bonis operibus. Est aũt inter primaria Canonicorũ munia, deuota Canonicarũ Horarũ persolutio: Vnde Aquisgranẽses patres, loquẽtes de Horis nocturnis, & diurnis,
Cap. 131. *Studeant*, aiunt, *summopere Canonici prædictas. Horas vigilantissima cura custodire, & in his diuinum officium humiliter ac deuotè persoluere.*
Cap. 132. *Psallentium autem in ecclesia Domino mens concordare debet cum voce, vt impleatur illud Aposto*
1 Cor. 14. *li, Psallam spiritu, psallam & mente. Quoniam quamuis non lateat Angelos, crebro electis inuisibili adesse præsentia, vt eos vel ab hostis callidi, de-*
Beda in Lucam. *fendant insidijs, vel maiori cælestis desiderij gratia sustollant: maxime tamen Angelici spiritus nobis adesse credendi sunt, cum diuinis specialiter mancipamur obsequijs, id est, cum ecclesiam ingressi, vel lectionibus sacris aurem accommodamus, vel psalmodiæ operam damus, vel orationi incumbimus; vel etiam Missarum sollemnia celebramus. Vnde ait propheta: In conspectu Angelorum psal-*
Psal. 137. *lam tibi. Nec dubitare licet, Vbi Corporis & San-*

guinis Dominici geruntur mysteria, superiorum ciuium adesse conuentus. Vnde studendum solorter est, vt cum ecclesiam vel ad diuinæ laudis debita soluenda, vel ad agenda Missarum sollemnia, intramus, semper Angelicæ præsentiæ memores, cum timore & veneratione competenti, cæleste compleamus officium. Et hæc in epilogo breuius repetũtur in quo legitur, *Horas Canonicas non negligenter sed cũ omni religione pariter celebrent, cũ omni deuotione & veneratione diuinæ seruitutis opus peragãt, sciẽtes Angelorũ semper præsentiã illic adesse.*

CVm itaque scutum seruitutis nostræ, vt Sapiens loquitur, sit oratio, & beneficium non detur nisi propter officium, nemo Canonicorum ignorare potest quantum ad Horas Canonicas religiose persoluendas sit obligatus. Neque studiosi sibi persuadeant quod propter studium, priuatam lectionem Horarum aut omittere possint, aut alijs committere, cum Ecclesia Dei hoc nusquam eis indulserit, & meminisse eos conuenit multos viros doctos, plus orãdo, quam studendo, profecisse. Pulchrè enim Augustinus: *Non solum admonendi sunt studiosi venerabiliũ literarum vt in scripturis sanctis genera locutionũ sciant, & quomodo apud eas aliquid dici soleat, vigilanter aduertant memoriterque retineant, verum etiam, quod est præcipuum, & maximè necessarium, orent vt intelligant. In eis quippe literis quarum studiosi sunt, legunt, quoniam Dominus dat sapientiam, & à facie eius scientia & intellectus.*

Sapi.18.

Lib. 3. de doctrina Chr. c. 37.

Iis

Iis proinde exceptis qui legitimè à publico diuini ministerij officio excuſantur, reliquorum eſt in eccleſia deuòte pſallere, in couſpectu diuinitatis, & Angelorum eius.

Terreat proinde & percellat noſtri temporis multos quoſdam Canonicos vox Bernardi. *Væ, væ, tibi clerice, mors in olla, mors in tuis delicijs eſt, ob id maxime quia peccata populi conſtat eſſe quæ comedis. Sumptus eccleſiaſticos gratis habere te reputas? Cantando, vt aiunt, tibi prouenire videntur. Bonum erat magis fodere, aut mendicare. Peccata enim populi comedis. Solicitus eſto tanquam rationem redditurus pro eis gemitus fundere, dignos agere pœnitentiæ fructus. Alioqui tibi noueris imputanda quæ modo inter delicias comedis, & paruipendis.*

In declã. ad verba Ecce nos reliq.

4. re. 4. Oſeæ 4.

Cap. 73, Olim, vt eſt in regula Canonica iuxta Romanam eccleſiam, cuius ſæpius in hæc libro memini, nomina dantium decimas ponebantur in altari, vt ſpecialior eorum memoria in iugi ſacrificio haberetur. Et certum eſt non minorem eorum ſolicitudinem erga defunctos fuiſſe, a quibus cum anniuerſariam fundationem reciperent, ſe ipſos numerabãt in numero amicorum de quibus in prophetia Iob legitur, *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei*, Vnde beatus Thomas in Quodlibetis alicubi tractat, ad quod officiũ mortuorum clericus in aliqua Eccleſia beneficiatus teneatur, cum in ſcholis exiſtit. Conſiderabat enim clericum obligatum eſſe defunctis, quorum bona recipit. Sed, Deus bone miſerere noſtri, quorum

Iob. 19. Quodl. 6. art. 8.

tam

tam frigida est hiſce de rebus ſeria meditatio.

Sunt etiam aliqui, qui dum tempora ſubſidia deficiunt, mox Dei ſeruitia omittunt. Sed prudentiſſime Dagobertus, rex potentiſſimus, monuit Memilianum, abbatem S. Maximini, cui allodium Dei ſeruitiũ donauerat, vt ſi, propter paganorum, vel infidelium Chriſtianorum deuaſtationem, penuria vltra modum ingruat, licentiam habeant allodium cum familia vendendi, antequam Dei deſtruantur ſeruitia.

In centuria de monaſterÿs Germaniæ.

Quando Canonici cenſeantur in regulæ ſuæ tranſgreßione periuri eſſe.

Caput XX.

VT autem non ſit neceſſe omnia & ſingula Canonicorum regularia ſtatuta huc adferre, quæ etiam propter regionum, tẽporum ac eccleſiarum, varietatem, commode adferri non poſſent, vnumquemq; Canonicum, ad ſuæ eccleſiæ regulam ac ſtatuta remitto.

Fortaſſis autem quoſdam timoratos, & ſcrupuloſos Canonicos augit periurij periculũ; eo quod dum ad Canonicatum admitterentur, interpoſito iuramento promiſerint Decano obedientiam, & ſtatutorum atq; conſuetudinum obſeruationem. Difficile autem ſit nunquam ſaltem minora prætergredi ſtatuta. Ideoque ſe imprudenter ſibi ipſis laqueum inieciſſe, cum etiam humana infirmitas aliquãdo in grauiora crimina prolabatur: ſatiſque ſit grauari hominem miſerũ & infirmum, etiam ſi ſingulis ſtatutorum præuaricationibus, non accedat nouum & horrendum periurij crimen. Se

proinde

proinde probate nō posse huiusmodi iuramentū: multūq; tristari quod eo sint allegati, & coarctati: Huiusmodi sane bonę volūtatis Canonicis respōdendū est, quod Beatus Bernardus in libro de præcepto & dispēsatione religiosis quibusdam similia proponentibus respondit. Is enim inter alia dicit,

Cap. 20 *Qui se ideo periurum putat quod ad pūctum* (aut, vt alij codices habent, *ad purum*) *regulā non obseruat, videtur mihi nō satis attendere quid iurauerit. Nemo quippe cū profitetur, spondet regulā, sed determinate secundū regulam sui quisq; conuersionē, suamque deinceps conuersationem, sese pollicetur dirigere. Hæc profecto huius temporis omnibus ferme monachis cōmunis professio est.* Et iterum. *In*

Cap. 14. 1. Reg. 15. *quo inobedientiæ crimen absq; dubio sit, apud Samuelem aduertite. Quasi, inquit, peccatū hariolādi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ nolle acquiescere, vt non iussionis simplex ipsa transgressio, sed voluntatis superba contemptio, scelus idololatriæ reputetur. Non est enim id ipsum nolle obedire & non obedire. Hoc quippe interdum erroris est, nonnunquam & infirmitatis: illud vero aut odiosæ pertinaciæ, aut contumaciæ non ferendæ. Quod & ipsum repugnare est, & resistere spiritui sancto, & si ad mortem vsque perdurauerit; blasphemia est non remittenda, siue in hoc sæculo, siue in futuro. Non ergo qualiscunque mandati præteritio criminalem facit inobedientiam, sed repugnare, sed nolle obedire. Cæterum quanti absque illa pessima & rebelli voluntate non obediunt? Quomodo itaque*

monacho crimen insidiatur inobedientiæ si totiens sine crimine transgreditur quotiens in transgressione defuerit huiuscemodi recalcitrans & contentiosa voluntas? Et rursus. *Veruntamen nemo si caute profitetur, pollicetur se vltra in nullo transgressurum, hoc est, iam non peccaturum. Alioquin aut periurat qui ita iurat, aut sanctior est illo qui ait, In multis offendimus omnes. Quod si consequẽs falsum esse videtur, videndũ est & de eo quod antecedit, ne forte lex quæ data est propter trãsgressiones cohibendas, non solum eas nõ coerceat, sed & augeat insuper crimine periurij si quidem id promittere nos in nostra professione credamus quod certum est non posse teneri. Partienda est proinde nobis in duo vniuersa hæc obseruatio regularis, in precepta videlicet & remedia, præceptis instituitur vita contra peccatũ: remedijs restituitur post peccatũ innocentia. Sic ergo vtraq; ista complectitur nostra professio, vt professus quisq; cũ in aliquo forte regulariũ mandatorũ deliquerit, si ad remediũ æque regulare cõfugerit, etsi cõuincitur trãsgressor mandati, nõ tamen pacti præuaricator. Solum itaq; censuerim fregisse votum, violasse propositum, pactum præuaricasse, qui & præceptum contempserit, & remedium. Nam illum sane dico securum, qui etiã si interdũ obedientiæ limitẽ præterit, consilium nõ resipuit pænitentiæ. Regularis namq; terminos etsi sæpe deliquerit, nõ euadit, qui censuræ, quæ ex regula est, disciplinam non subterfugit.* Cap. 16.

Pars siquidē regulæ est regularis correctio & in ea reperitur non solum bonæ vitæ instructio, sed etiam emendatio prauæ. Inueniuntur in ea & præcepta obedientiæ & inobedientiæ remedia, vt ne peccādo quidem à regula recedatur. Fateor sane impoßibile cuiuis mortalium vel venialiter interdū non delinquere in præceptis obedientiæ; sed nulla iam de impoßibilitate querela, quandoquidem & ex regula licet id quoq;, quod criminaliter delinqui contigerit, emēdare. Quod ergo dicitis à nullis posse obseruari ad integrum, quicquid à magistris præcipitur, verum est: sed leuis culpa inobedientiæ est, & facilis cura eius inuenitur in regula, si quidem sit trāsgreßio absque contempla. Si autem & ipsum deesse aliquando non posse contenditis, id quidem falsum est: sed nec talem tamen inobedientiam sine cura reliquit diligentia regularis & licet fortiori egeat curatonis medicamento, caret tamē morbo præuaricationis, nisi cum & ipsum forte medicamentum contemnitur.

Et hæc vtcumque fuse diui Bernardi verbis explicanda esse putaui, vt Canonicus, qui longe laxior est quo ad suam regulam, quam sit monachus, qui regulā Benedicti, Augustini, Pachomij, Basilij, Columbani, aut quancumq; aliam approbatam, sollemniter profitetur, discat inobedientiæ quidem crimen incurre quando præceptum contemniter, sed tum demum se periurum esse quando cum præcepto remedium quoque contemnit.

Et

Et quia diuus Bernardus aliquoties inculcat non regulam promitti, sed obedientiã secundum regulam; quod si in quibusdam ecclesijs iuretur statutorum obseruatio, non alio id intelligendum est sensu, quam quem hactenus explicuimus, eo quod vniuersa obseruatio regulę, siue statutorum, vt iam ante ex Bernardo meminimus, in duo sit partienda, in præcepta videlicet, & remedia. Vnde tum demum per infirmitatem lapsi Canonici periuri habentur, quando, à Decano & Capitulo moniti, recalcitranti ac refracto animo, pœnitentiam legitimam subire renuunt.

Nihilominus Canonicus recipiendus iurans expresse se non seruaturum concubinam, & iurãs se non recepturum fructus pro tempore quo eam habet, incurrit graue periurij crimẽ, si aliter faciat, quantumuis statutum non sit in vsu. Nec possunt Canonici hoc iuramentum sibi inuicem relaxare, sicut ea quæ priuata concernunt commoda: Iuramentum enim diuinum honorem, & cultum cõcernens, nequaquam relaxatur ab ijs quibus præstitum est: Veluti, si clerici sibi iurauerint, quod religionem intrabunt, vel certa psalteria & orationes dicent pro defunctis: vel si duo mercatores sibi iurauerint quod dabunt tertiam partem lucri pauperibus: Quod Ioannes Driedo docet, latiusq; explicat in libro secundo de libertate Christiana. *Cap. 1. tomo 4.*

Qualis soleat esse Canonicorum lapsorum pœnitentia.

Caput XXI.

SIcut autem, feruẽte inter Canonicos maiore charitate, exactior solet esse regula, ita si ab ea

exorbitauerant, longe rigidior erat pœnitentia. Et veteres illi & venerandi nostri maiores longo plenius quam nos meditabantur Christianam vitam, perpetuam pœnitentiam, vt Concilium Tridentinum loquitur, esse debere, ideo ipsi omni die sub finem Primæ Horæ Canonicæ ad conuentum Capitularem ire solent: vbi primò legebatur Martyrologium, secundò memoriæ defunctorum: tertio, vnum caput regulæ. De quo cum de Martyrologijs scriberem, nonnulla annotaui, ad quæ Lectorem remitto. Iis autem peractis, in Capitulari conuentu, si quæ corrigenda erant, tractabantur. Cuius rei breuis mentio est in Concilij Moguntiaci, statuto nono, vbi inter alia legitur. *Vt canonici clerici singulis diebus mane Primò ad lectionem veniant, & audiant quid eis imperetur.*

De Marti cap. 14.

Sed longe plenius & clarius ex Canonica regula iuxta Romanam ecclesiam disci potest clericos, qui quotidie solent tempore Primæ confiteri, salutem generalem confessionem, eosdem peacta Prima solere quotidie quoque conuentum celebrare Capitularem. In quo quisque ab Episcopo, aut Archidiacono, vel quocunque alio Episcopi vicario, audiebat quid iuberetur, & quid corrigeretur, vel prohiberetur. Imo clericus ibi sponte culpam fatebatur, veniam postulabat, superiori se submittebat. Et si quis in grauiorem culpam incidisset, ab Episcopo, vel qui sub ipso erat, qui erga delinquentem debebat imitari curam medici peritissimi imponebatur quadragena, quam vulgus karenam vocat, quadraginta dierum continua in panum & aqua pœnitentia, vel carcer (quem Aquisgranensis

De carnis multa habet Burchardus li. 19. c. 5.

granensis synodus nominat locum intra claustra Canonicorum, quoad tempus retrudantur) vel pœnitentia publica. In qua pœnitens solet ante limitem ecclesię, vel capituli, prostratus iacere sub ingredientium & egredientium pedibus. Quando etiam ab vno grauius perpetratum erat delictū, cum peccatore lugente & cæteri, veluti vnius corporis membra, lugebāt, imitantes Apostolum qui ad Corintheos scribit, *Quis infirmatur & ego non infirmior?* & iterum, alio in loco, *Flete cū Flentibus.* Cap. 134. 2. Cor. 11. Rom. 12.

Et quia omnes quotidie in multis offendimus, hinc etiam veteres Canonici, cū humilitate subire solent quotidiana pœnitentiæ opera, qualia erant vigilię nocturnæ, silentium post Completorium, & id genus similia.

Pulchra sunt quæ de correptione Canonicorum sub Ludouico pio Aquisgrani decręta sunt, è quibus, omittere nō possum, quin sequentia huc trāsferam. *Quod si* aiunt, *tot saluberrimis admonitionibus & castigationibus necdum paruerint, fiat eis ab omni congregatione communis oratio, vt à Domino sanentur. Postremò si inemendabiles & incorrigibiles apparuerint, ne per plures eorū dira serpant contagia, necesse est vt à cæterorum societate (vtpote oues morbidæ) secreti, ante præsentiā deducantur episcopi, vt ab eo canonica authoritate publice dānentur. Si verò quis in collegio Canonicorum culpā criminalem admiserit, huic nulla est dāda dilatio, quin aut sponte pœnitentiam pro admis-* Cap. 134.

ſo crimine gerat: aut ſi id agere reſultauerit, coram epiſcopo deducatur, vt ab eo publica mulctetur pœnitentia. Meminiſſe enim oportet rectores, quia columba eſt in diuinis Scripturis Eccleſia appellata, quæ non vnguibus lacerat, ſed alis pie percutit. Vnde etiam illis ſummopere obſeruandum eſt, vt iuxta modum culparum, & perſonarum, atque ætatum, omnino ipſa temperata ſit correptio. Sed & hoc illis nihilominus cauendum eſt, ne errata delinquentium, alicuius rei liuore feriant, ſed potius, vt ait beatus Auguſtinus, ſint criminum perſecutores, & hominum liberatores oderint vitia, & diligant homines.

Cant. 6.

Ex his autem omnibus diſcimus non tantum qualis debeat eſſe cleri præpoſitus, ſed etiam qualis olim fuerit in clero vigor & rigor diſciplinæ, ac pœnitentiæ. Qui hodie vſque adeo collapſus eſt, vt quamuis, ſicut in monaſterijs fere omnibus, ſic etiam aliquibus Canonicorum collegijs, finita Prima, ad Capitularem locum eatur, ad lectionem Martyrologij, libri defunctorum, & breuiſſimæ lectionis regulæ, nullus tamen de corrigenda vita ſubſequatur conuentus, vt tantum vmbra veteris pietatis remanſerit. Vnde etiam lectio prædictorum in multis collegiatis eccleſijs non fit in Capitulari loco, ſed in choro in multis quoque Canonicorum eccleſijs omnino omittitur. Quibus ferè ſatis eſt: hebdomadatim ſemel in Capitulo conuenire: & nihil fere tractare, niſi quę iuriſdictionem, & bonorum temporalium conſeruationem concernunt.

De

De disciplina Capitulari memorabile & stupendum exemplum.

Cap. XXII.

CErte apud maiores nostros etiam disciplinæ vsum inter Canonicos seculares fuisse, memorabile aut potius stupendum, docet nos exēplum à Thoma Cantipratensi in libro secundo Apum descriptum Solertissimum quendam ait in Rhemensi ecclesia Decanum genere Anglicum, ab his qui virum cognouerunt, audiuimus, quæ Canonicos suos pro excessibus viriliter corrigebat. Accidit eius tempore vt venerabilis & Deo dignus Albertus, Leodiensis episcopus, frater Ducis Brabantiæ ab Imperatore Henrico exul ab Imperio pelleretur : & à militibus eius iuxta Rhemensem vrbē pro iustitia dolosissime necaretur. Ad cuius exequias cū venerabilis Henricus ex regali genere ortus, tūc quidem Archidiaconus Rhemensis, sed in Catalauno Præsul electus, sine nuptiali veste, cū multa turba nobilium interesset. Sepulto sacro cadauere in choro cathedralis ecclesię vt decebat, Decanus omnes Canonicos ad Capitulum vocauit & dixit electo. Nondum vt credo Archidiaconatum aut Canoniam resignastis. cui electus, Nondum, inquit. Surgite ergo, ait Decanus, & dorsum ad disciplinam corā fratribus præparate, eo quod sine veste nuptiali chorum cum Canonicis contra regulam introijstis. Accepta ergo à manu Decani valida disciplina electus corā omnibus dixit Gratias ago Deo & patronæ Rhemensis ecclesiæ, eius pijssimæ genetrici, quod te talem in hoc regimine dereliquo. Hinc magis diligam locū istum, *Cap. 39.*

& in ſede iſta dignam ſeueritatis memoriam venerabor. Hæc dicens, Archidiaconatum & Canoniam reſignauit, & in ſe verificauit illud vulgare prouerbium, *Quanto caput altius, tanto collum mollius.*

Qui Canonicorum ſtatum collapſum reformarint, & in eo regulæ obſeruantiam inſtaurarint.

Caput XXIII.

CVm autem Canonicus ordo à communi vita collapſus eſſet, & auaritia inualeſcente, charitate frigeſcente, clerici propriam magis quam communem ſequerentur vtilitatem, monachi, qui foris habitare ſolent, vocati ſunt ad ciuitates, & nonnulli ad clericorum officia ſunt admiſſi. Quibus etiam magno Dei beneficio, qui ſponſam ſuam, Eccleſiam, non deſerit, poſtea acceſſerunt quatuor mēdicantium ordines, noſtroque tempore Societas Ieſu. Qui omnes auſteritati monaſticæ vitæ officia clericorum religioſiſſime coniungunt.

Imo cum libera & proprietaria Canonicorum vita, tum temporis multis à ſua profeſſione aliena videretur, multi Canonici ſe ad monaſticam diui Benedicti regulam aſtringebant, vt clericali officio ſeruato à regularis vitæ diſciplina non deſciſſerent. Ex vna ſane Leodienſi eccleſia vnum Cluniacum multos circa ea tempora recepiſſe Canonicos ex libro quarto epiſtolarum Petri abbatis Cluniacenſis ignorari non poteſt: & inter eos quoſdam maximi etiam nominis fuiſſe, teſtantur, inter cætera, hæc eius verba:

Quando

Quando Leodiensis ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Hezelonem, Tezelinum, Algerum, Canonicos, magnosq; suo tempore magistros, humilitatis discipulos, &, vt ipsi, qui vidimus, attestamur, veros monachos, fecit? *Epist. 53.*

Imo integra quædam Canonicorum collegia tunc temporis, Benedicti regulam suscipiebant. Inter quæ in Belgio nostro est ecclesia sancti Petri Alnensis, quæ cum Canonicorum esset, hortatu sancti Bernardi, facta est Cluniacensis.

Et Petrus abbas Cluniacensis scripsit eo tempore literas ad Milonem Teruanensem episcopum, de eo quod Canonicam Abbatis villæ sæcularium Canonicorū Cluniacēsi monasterio dari noluerit. *Lib. 5. epistola 7.*

Alij vero fuerunt qui retento Canonico nomine, quamuis ex illis quidam se libentius clericos appellauerint, nō nisi in reformato collegio habitare voluerunt. Multi enim fuerūt qui clericorum collegia ex sæculari ad regularem redegerunt obseruantiam. Inter quos est Alexander II, antea Lucensis Episcopus, qui, Onuphrio teste, ordinem Canonicorū Regulariū sancti Augustini, Romæ, Lucæ apud sanctum Fridianū, & alibi in Italia restituit. Inter eosdē Iuo, Beluacēsis Præpositus, celebratur, sub quo magistro per Burgundiā multum Canonicus ordo reformatus est. In Gallijs eiusdem ordinis reformatores habentur Hugo & Richardus de sancto Victore, clerici & Theologi Parisiēses. In Italia lōge post Petrus Damianus, Cardinalis & episcopus Hostiensis: qui dignitate sponte abdicata, Rauennā redijt ad Canonicā sanctæ Mariæ in portu, vbi in præsentiarum extant constitutiones ab eo editæ de cōmuni vita clericorum, & Paschalis secundi auctoritate confirmatæ. *Onu. chronici anno 1062.*

Lect. 4, officij Lateranensis 16 Maij.

Ad hoc autē nobile & religiosum collegium profectus est Vbaldus, clericus sancti Secundi prope Eugubium, cum ecclesiam suam ex sæculari obseruantia ad regularem redigere vellet, & cum ordinis eius regulam, & institutiones, diligentissime didicisset, easq; in scriptis redactas ad clericos suos detulisset, vna cum tribus tantum modo, reliquis abeuntibus quod arcta nimis regula videretur, regularem ibi obseruantiam instaurauit. Quid de sancto Norberto dicam, cui cum canonica vita in patrio loco Xanthis displiceret, quod Apostolicam vitam, quam in prædicatione susceperat, optaret viuere, quam multos ille ex Cameraco, Leodio, & aliunde, ad nouum Canonicum, simul & monasticum ordinem, Præmonstratum, attraxit? Et quot ex vno initio, videre licet celeberrima eius professionis monasteria, quæ omnia à primario loco, Præmonstratensis ordinis esse dicuntur. Denique, quam multi extant passim (vt non sit necesse omnia reformata clericorum collegia recēsere) quam multi, dico, extant Canonicorum regularium conuentus, qui suum ordinem mirabiliter auctum esse scribunt potissimum circa annū Domini 1342, & à Benedicto duodecimo priuilegijs & constitutionibus decoratum esse? Ex his duo habemus in Belgio nostro primaria monasteria, vnum Rodæ, alterum Aroasiæ, vtrumqne tamen bellis attritum, & attenuatum. Sub quibus multa alia monasteria, sub regimine Abbatum & Prępositorum, claruerunt.

Est & alia celeberrima Canonicorum Regularium domus VVindeshemi, apud Transiselanos, Florentio, Gerardi magni discipuli & successore, fundata sub qua multi cōuētus ex quibus Louanij duos

duos habemus, sub regimine Priorum clarent. Qui omnes dicuntur Canonici Regulares Capituli VVindeshemensis.

Canonicos Regulares recte hoc modo nominari.

Caput XXIIII.

MVltum autem Ludouico Viui, alijsq; literatis, displicere animaduerti, quod hi Canonicos vocēt regulares, cum id aliud non videatur sonare, quam bis regularem: An illos etiā offendet quod in Euangelio legitur, *Abba, pater, omnia tibi poßibilia sunt: transfer calicem hunc à me*: aut quòd Apostolus aliquoties dicat, nos accepisse spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba, pater? Quamquam sciam hæc sacra loca ita tractari posse, vt in verbis Christi sit geminatio: Apostolus vero significet ab Hebræis clamari, abba: à Græcis, pater. Pulchre Benedictus. *Abbas, qui præesse dignus est monasterio, semper meminisse debet, quod dicitur: & nomen maioris factis implere. Christi enim vices agere in monasterio creditur, quando ipsius vocatur prænomine, dicente Apostolo, Accepistis spiritum adoptionis filiorum Dei, in quo clamamus, Abba, Pater.* Sicut igitur inter abbates ij qui cæteris abbatibus præsunt peculiariter dicuntur Patres abbates, ita inter Canonicos nonnulli ad distinctionem Canonicorum sæcularium dicuntur Canonici regulares, qui videlicet se arctius cæteris Canonicas regulas obseruare velle deuouerunt. Et non est mi-

In 3. de ciuit. Dei, cap. 15.

Mar. 14.

Rom. 8.

Gal. 4.

rum inter ecclesiasticos hanc locutionem inualuisse, eo quod in antiquis cōcilijs aliud sit regulariter, aliud Canonice, viuere. In Concilio enim Mogūtino legitur, *Si monachi fieri voluerint, regulariter viuant. Sin autē, canonice viuant omnino.* Non quasi Canonici nullam habeāt regulam, sed quia monasticam non habeant, quæ Ecclesiastica phrasi per antonomasiam solet regula dici. Scio hæc Ciceroniana non esse, sed Christianos ignorare non oportet indulgendum nonnihil esse stijlo ecclesiasticæ simplicitatis. Vnde pulchrè scribit Augustinus in libro de catechizandis rudibus: *De scholis vsitatißimis Grammaticorum, Oratorumque venientes, sedulo monēdi sunt, vt humilitate induti Christiana, discant non contemnere, quos cognouerunt morum vitia quam verborum, amplius deuitare: & cordi casto linguam exercitatam nec conferre audeant. His maxime vtile est nosse, ita esse præponendas verbis sententias, vt præponitur animus corpori. Ex quo fit vt ita malle debeant veriores, quam disertiores, audire sermones, sicut malle debent prudentiores, quam formosiores habere amicos. Nouerint etiam non esse vocem ad aurem Dei nisi animi affectum. Ita enim non irridebunt, si aliquos antistites, & ministros ecclesiæ, forte animaduerterunt vel cum barbarismis, & solœcismis, Deum inuocare: vel eadem verba quæ pronunciant, non intelligere, perturbateque distinguere. Pie toleranda sunt hæc ab eis.* Hactenus Augustinus. Ideoque magis toleranda sunt,

Cap. 21.

Cap. 9. Tomo 4. Vide eundem in Psal. 183.

ſunt, quod in vſitatiſſimam & inueteratam lo-
quendi phraſim recepta ſint. Nam quod Canonici regulares dicantur, paſſim etiam in Corpore iuris Canonici, & in literis Apoſtolicis & in Concilijs Poſterioribus obuium eſt, vt non ſine irreuerentia hæc in patribus à litterârum ſtudioſis reprehendantur.

Nonnulli tamen ob hac geminatione aliquando abſtinent. Quo ſpectat quod Bernardus literas ſcribat Odoni abbati regularium clericorum: & alias Abbati Canonicorum clericorum Trecenſium. Cuiuſmodi locutiones apud eum, & alios, ſæpius occurrunt. *Epiſt. 148 & 149.*

Canonicos ſæcularis obſeruantiæ recte dici Canonicos ſæculares:

Caput XXV.

SEd ſunt etiam alij male Chriſtiani qui vſque adeo circa voces languent, vt in nobis mordere audeant, quod & Canonici, & Canonici ſæculares dicamur. Et quo ad priorem vocem, nos traducunt: quod autem ad alteram nomenclaturam attinet, monachos & regularem vitam profeſſos lacerant. Er vt horum primo loco cōtra manifeſtas & diabolicas calūnias patrocinium ſumā, audent illi monaſticam & regularem vitā profeſſos, velut ſumme arrogantes, traducere, quod ſe vocent cōuerſos, religioſos, & mūdo mortuos: Quodque ad ſui diſtinctionem alios nominent Canonicos & ſacerdotes ſæculares, quaſi ipſi ſint extra ſæculum & mundum: aut quaſi in ipſis clauſtris & mona-

Tit. 2. & monaſterijs eorum non ſint ſæcularia deſideria, vt Apoſtolus loquitur, aut non inter eos cogitētur quæ ſunt mundi, iuxta vulgatum carmen,
1. Cor. 7. *Quicquid agit mūdus, monachus vult eſſe ſecūdus:* Contra vero, quaſi extra monaſteria nulli ſint ad Deum conuerſi, nulli religioſi, nulli mundo mortui.

Hæc ſunt quæ nonnulli, aut monaſticæ vitæ, aut ſaltem ſinceræ & catholicæ doctrinæ deſertores, impurè euomunt. Quibus ego reſpondeo, monachos non ſolere ſibi ipſis tribuere vocabula, quæ illis ab alijs honoris cauſſa tribuuntur, quòd à Sapiente ſcriptum eſſe ſciant, *Laudet te alienus, & nō os tuum.* Quæ aūt laudis, eadem & honoris
Prou. 27. ſit ratio. Ideoque Paulus, etſi alios, ſanctos, non tamē ſeipſum, ſanctum vocare ſolet, quod, etſi omnes Chriſtiani ſancti dicerentur, quia Deo dicati, ſanctitatem profitentes, vſitatius tamen hæc vox ſignificare videatur hominem ſancte viuentem. Eundem in modum non ſolet humilis monachus ſeipſum vocare mortuum mundo, religioſum, & ſimilibus titulis, ne ſeipſum honorare videatur. Quo tamen modo ſi aliquando vtatur, (neq; enim negare poſſum aliquos ita loqui) non ſignificat quid ſit, ſed quid profiteatur. Quomodo aliqui ſe vocant fratres Prædicatores, aliqui Minores, alij Minimos, alij Humiliatos, alij denique, vt non omnia recenſeam, Seruos beatæ Mariæ; non quod huiuſmodi nomen ſibi præ alijs arrogent, ſed quia eæ nomenclaturæ eis à ducibus ſui ordinis inditæ ſint, non ad ſignificandum quid ſint, ſed vt admoneantur quid eorum profeſſio exigat. Dicuntur autem qui perfectiſſimam monachorum vitam, vt Diony-

vt Dionysius Areopagita loquitur, amplectuntur, per Antonomasiam, religiosi, non quod religionis virtus alijs non competat: ad omnet enim Christianos pertinet illud Iacobi, *Si quis putat se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum huius vana est religio* Sed quia hi peculiariter sunt therapeutæ, hoc est, Dei cultores quia maxime dediti sunt exercitationi & studio, religionis ideo etiam Philone, externo scriptore, teste, dicti sunt, cultores Dei, & mulieres eandem cũ illis vitæ consuetudinem secutæ, cultrices Dei. Hoc ipsum est quod Dionysius Areopagita scribit: *Diuini præceptores nostri sanctis etsi nominibus appellari voluerũt, alij cultorum, à puro Dei famulatu & cultu: alij monachorum ab indiuidua ac singulari vita* Scribit Doctor gentiũ eum qui cum vxore est, solicitum esse quæ sunt mundi, quomodo placeat vxori: & diuisum esse. Areopagita vero meminit omnibus diuisibilibus abrenũciare monachorum ordinem; & hinc eos à sacra monade monachorum nomen habere, quia reliquis omnibus quæ eos à Deo diuidere possunt, abrenunciauerunt, vt pure vni Deo seruiant. Aduertitis ne diuinum & ab Apostolis inditum illis esse nomen monachornm, etsi illud apud multos viluerit, & in contemptum venerit?

De eccl. hier. cap. 6 parte 3.

Iac. 1.

Philo de vita in cõtemplatione posita.

Dio: loco citato.

1 Cor. 7.

Quod si per excellentiam, & antonomasiam, dicti sint ab Apostolis, & diuinis Dionysij præceptoribus, cultores Dei, &, non minus excellenti nomine, monachi, an miramur simili locutionis specie eos religiosos dici? Hinc illud est in Carthaginensi Concilio, Augustini quoque manu subscripto,

Qui

Cap. 97. in 4. synodo. *Qui religiosis fœminis præponendus est, ab Episcopo loci probetur.* Non igitur vnicæ religionis nostræ hostes, aut quidam nimium litteris addicti, male accipiant, quod monachos peculiari honore religiosos vocemus, cum videant hanc phrasim, & ab Apostolis emanasse, & in ecclesia Dei semper vsitatam fuisse. Quod multis exemplis comprobare, à præsentis libri instituto alienum est, vt vnum pro mille posuisse suffecerit, in re vbique obuia.

Sed dicent, cum honoris caussa dicti sint ab alijs religiosi, non deberent se ipsos vocare religiosos. Respondeo, non minus honorificum esse monachi titulum, etsi id carnales homines non intelligãt: cur igitur sicut seipsos monachos vocant, similiter religiosos vocare non possunt? cum iam antea dixerim, dum huiusmodi vocabulis aliquoties vtuntur, sese non dicere quid sint, sed cuius sint professionis. Ideoque vocabula hæc, bono sensu accepta, omni carere reprehẽsione, etsi alios, prudentiores esse putem, qui ab huiusmodi nominibus abstineant, si infirmiores putent inde offensionem accepturos. Quamquam, vt memini, monachi titulum quisq; monasticam vitam professus, nunc absq; vlla ambitionis specie vsurpare possit.

Simili locutione conuerti dicuntur, qui vitam amplectuntur monasticam, non quod alij nõ conuertantur, de quibus scriptum est, *Conuertimini ad me*: sed quod hi in singulari perfectionis gradu omnibus cæteris abrenunciantes ad vnum Dei cultum sese conuertant. Hinc titulus est in iure *de conuersione coniugatorum*. Et in Turonensi sy-

Ioel. 2.

nodo

nodo secunda legitur, *Si qui in monasterio reuersi sint, aut conuerti voluerint, nullatenus exinde habeant licentiam euagandi.* Similiaque multa obuia sunt in registro Gregorij magni, in monasticis institutis apud Cassianum, & in sacris Canonibus. Can 11.

Nec alio spectat quod Eugenius pontifex monachos vocet mortuos mundo. Iohannes enim Cassianus in libro quarto de institutis cœnobiorũ, *Abrenunciatio,* ait, *nihil est aliud, quam crucis ac mortificationis indicium. Ideoque noueris hodierno die te huic mundo & actibus eius ac desiderijs esse defunctum, teque, secundum Apostolum, mundo huic esse crucifixum, tibiq; hunc mundum.* Hæc Cassianus, aut potius Pijnufius, abbas Aegyptius, ad fratrem, quem, sub præsentia Cassiani in suam cœnobium recipiebat. Verum est quidem omnem hominem, dum per sacrum lauacrum renascitur, abrenunciare Sathanæ, & mundo mori, Illi, inquam, mundo, de quo Saluator, Apostolis suis, cœnans, dicebat, *Si de mundo fuissetis, mundus, quod suum erat, diligeret. Quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo,* hoc est, exemi vos de numero impiorum, *propterea odit vos mundus.* Sed tamen longe perfectius moritur mũdo qui omnibus diuisibilibus, omnibus ijs quę eum solicitum & diuisum à Diuini cultis exercitio redderent, libens renunciat, & ad perfectam transit philosophiã, quo nomine Gregorius Theologus & frequenter & libenter vtitur monasticam vitam significare volens. Is enim omnimpedimentis abiectis, nec proprij corporis, nec propriæ voluntatis, arbitrium seruat,

Causa 16: quæst. 1.

Cap. 34.

Gal. 6.

Ioan. 15.

nec

nec aliquid ſibi ex hoc mundo retinet proprium, vbi caput ſuum reclinet. Imo per abrenunciationem, teſtamentum eius confirmatur, perinde ac ſi corporalis mors interceſſiſſet, adeo vt nulli nec mutandi, nec ſubtrahendi, aut etiam interpretandi quępiam, vt nonnulli iuris interpretes annotāt, vlla ſuperſit libertas.

Cod. de ſacroſanctis eccl. l. Si qua mulier.

An non ex his omnibus diſcimus phraſes has, longo vſu à grauiſſimis viris in Dei eccleſia receptas, à ſpurijs filijs, aut à quibuſdam, magis Ciceronianis. quam Chriſtianis, conuellendas non fuiſſe, quod recte monachi propter excellentiam ſuæ profeſſionis huiuſmodi elogijs honorentur: quodque monachi ſi ſibi hæc aliquando aſſcribant, ſignificare velint non quid ſint, ſed quid eorum profeſſio exigat? Non quod alijs eadē non competant, ſed quod ipſi magis adlaborare debeant, vt ea vocabula tueantur, quæ ex abrenunciatione, & profeſſione, ſua acceperunt.

Quod vero deinde obijcitur obſcurum carmen *Quicquid agit mūdus, monachus vult eſſe ſecūdus*: falciſſimum eſt de bonis monachis. Si autem quidam tales ſint, ſtultum eſt inde ſanctiſſimum totum ordinem traducere velle. *Ex quo Deo*, ait Auguſtinus, *ſeruire cœpi. quomodo difficile ſum expectus meliores quam qui in monaſterijs profecerunt, ita non ſum expertus peiores quam qui in monaſterijs ceciderunt, ita vt hinc arbitrer in Apocalypſi ſcriptum, Iuſtus iuſtior fiat, & ſordidus ſordeſcat adhuc. Quapropter etſi contriſtamur de aliquibus purgamentis, conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis. Nolite ergo propter amurcam,*

Epiſt. 137

Apoc. 22.

cam, quæ oculi vestri offenduntur, torcularia detestari, vnde apothecæ Dominicæ fructu olei luminosioris implentur. Legant isti Ioanne Chrysostomo auctore comparationem regis & monachi: & eiusdem aduersus vituperatores vitæ monasticæ, libros tres.

Illud vero quod nos Canonicos sæculares vocēt, merito neminem nostri ordinis offendere potest, cum frequenter eo nomine à regularibus Canonicis in ipsis sacrosanctis Concilijs distinguamur. Inde illud est magni Lateranensis Concilij. *Ne Canonicorum filij, maxime spurij, Canonici fiāt in sæcularibus ecclesijs, in quibus instituti sunt patres.* *Can. 31.*

Vocabulum istud sæculare aliquando in malam partem accipitur. Ita Iudæi, quod verum Dei cultum habebant, se ab alijs secernebant, quos in sæculo esse dicebant. Quo illud spectat, *Pondera in statera nostras iniquitates, & eorum qui habitant in sæculo, & nō inuenietur nomen tuum nisi in Israel.* Quo sensu & Vas electionis scripsit, gratiā Dei omnes homines erudire, vt abnegantes impietatem, & sæcularia desideria, sobriè, iustè & piè, viuant in hoc sæculo. *4. Esdræ 3* *Tit. 2.*

Aliquando vero non in partem malam accipitur, sed sæculares dicuntur, qui in ciuilibus rebus & actionibus occupātur, qui negotijs huius mundi implicantur, qui soliciti esse debent quomodo vxori placeāt, quomodo liberos honestè educent,

& elocent. A quibus negotijs, cum sese Ecclesiasticus ordo, Deo mancipatus, abstrahere debeat,
2. Tim. 3. dicente Apostolo, *Nemo militans*, aut vt quidam codicees habent, Nemo militans Deo, *implicat se negotijs sæcularibus*: alij ad eorum discretionem sæculares dicti sunt. Huc pertinent ea quæ sunt Agathensis Concilij: *Clerici vel sæculares qui ob-*
Can. 3. *lationes parentum, aut donatas, aut testamento relictas, retinere perstiterint, ab ecclesijs excludā-*
Can. 7. *tur. Clericus si relicto officio, suo ad sæcularem iudicem confugerit, & is solitum & defensionis, impenderit, cum eodem de Ecclesiæ communione pella-*
Can. 31. *tur. Missas die Dominico sæcularibus totas audire præcipimus.* Similiter in Matisconensi syno-
In 1. can. 3 do, *Vt nullus clericus sagum, aut vestimenta, aut calceamenta, sæcularia induere præsumat.* Item.
In 2. c. 14. *Statuimus vt si quis quempiam clericorū honoratorū in itinere obuium habuerit, vsque ad inferiorem honoris gradum veneranter illi colla subdat: Et si quidem ille sæcularis equo vehitur, clericusq́; similiter, sæcularis galerum de capite auferat, & clerico syncere salutationis manus adhibeat. Si vero clericus pedes graditur, & sæcularis vehitur equo, illicò ad terram defluat, & debitum honorem illi synceræ charitatis exhibeat.* Neque igitur hac ratione Ecclesiastici viri, sæculares esse dicuntur.

Sed tertia significatione sæcularis est qui in sæculo, siue in mundo, & orbe terrarum habitat. Qua ratione omnes homines, quantumuis ad monasteria

nasteria aut eremos recesserint, sęculares sunt, quia in orbe terrarum existunt. Cæterum qui vtuntur hoc mundo, tanquam non vtentes, &, vt omnibus solicitudinibus mundi renuncient, se ad portum monasticæ religionis retraxerunt, secundum aliā significationem, quam antea explicuimus, sæculares esse negantur. *1. Cor. 7.*

Eundem in modum Canonici quamdiu in claustris segregati à laicis habitabant, non dicebantur sæculares: postquam autem, reiecta communi vita, proprietarij facti sunt, sæculares dicti sunt, non ea quidem ratione qua laici sed eatenus quod in sæculo, hoc est, inter sæculares homines, conuersentur, & mansitent, qui antea in claustris ab omni mundi strepitu, vt melius Diuino cultui, die noctique inhererent, segregati esse solent.

Hinc Adam Canonicus Præmonstratensis cum sibi obiecisset. *Si Canonici, quomodo sæculares? si sæculares, quomodo Canonici? Vt cignos nigros, sic audio dici Canonicos sæculares:* subdit *Sed esto: nec ipsum culpemus vsum loquendi. Sit quod sic appellentur, non quia criminibus sæculi, ipsi sæculo conformati, implicantur, sed pro eo quod tam arctum viuendi propositum non complectuntur, quam arctum illi tenere videntur, qui regulares appellantur.* *Serm. 3.*

Canonicos sæculares recte dici Canonicos.
Caput XXVI.

QVatuor igitur modis cū aliqui sæculares esse dicantur, intelligi opinor de canonicis, quo sensu sint, & quo sensu non sint sæculares.

Cassander in cōsultatione religionis.

EXcessit proinde hac in re modum Christianæ modestiæ Consultor quidam, qui dum extra Dei ecclesiā esset, ad quam tamen ante mortē à quibusdā, rediisse fertur, scripsit manere tantum vestigia communis ac Canonicæ vitæ in ædificijs, ac nominibus. Nam multa adhuc collegia claustri, id est, loci septi atq; reclusi, nomen & speciem referunt, & in ijs refectoria, dormitoria, ac cellæ, singulis assignatæ reperiuntur.

Addit deinde, regulæ desertores monstroso nomine dictos esse Canonicos sæculares, hoc est, regulares irregulares. Quare haud iniuria Albertum Crantz, Canonicum sæcularem vocare monstrum sine exemplo, regularem sine regula, canonicum sine canone.

Ad quæ vt eodem ordine respondeam, admitto vestigia tantum communis vitæ, in ædificijs, ac nominibus, apud quosdam remanere. Sed non est concedendum, nos Canonicæ vitæ vestigia tātum conseruare. Sicut enim, si ad veterem disciplinam atque rigorem respiciamus, vix, vllus hoc tempore jeiunare censebitur. Illi enim (:vsque ad vesperam jeiunabāt: nos prandemus:) eum in modum: si veterem Canonicorum regulam attendamus, nullus nunc est inter Canonicos sæculares, Canonici nomine dignus. Sed quia præsentia tempora antiquatum rigorem non ferunt sicut verè jeiunare censemur, etiam si præter veterum morem prandeamus, sic etiam verè Canonici nomen possidemus, si ea quæ præsens Ecclesia à nobis requirit, obseruemus. Non itaque monstroso nomine dicimur Canonici sæculares, hoc est, regulares irregulares. Neque enim sæculares dicimur, quod irregularis sit nostra vita, sed eo modo quem paulo ante

lo ante explicui. Et verè quidem monſtroſo nomine Canonici, ac regulares, diceremur, ſi regulæ poſſeſſionem omnem nobis excuſſiſſemus, ſed omnes Canonici regulam habent & inſtitutiones, ſecundum quas eis viuendum eſt, & ſecundum quas dum vitã inſtituunt, boni Canonici nomen, coram Deo, & hominibus, tuentur.

Quod verò addat Crantium vocare Canonicum ſæcularem monſtrum ſine exemplo, canonicum ſine canone, regularem ſine regula, id ego verum eſſe admitto de canonico malæ vitæ. Quomodo Bernardus à Fulcone adoleſcente ſcribit. *Veterem hominem exuitur, & nouum induitur: quodq; ſolo nomine extiterat, moribus & vita Canonicum profitetur.* Epiſt. 2. Nam ſicut multi ſunt nomine tantum, & non re, Chriſtiani: profeſſione diſcipuli, & imitatores, Chriſti, vita autem ſerui & mancipia diaboli: ſic etiam ſunt in Canonico ordine, qui dignitatem nominis ſui nedum non tuentur, ſed ſordida vita adeo commaculent, vt non modo Canonici, ſed nec hominis, nomen, tueri poſſe videantur, à natura ſua nimium degeneres. Verum propter quorundam defectum ipſum ordinem, qui bonus eſt, damnare velle, quid hoc eſt aliud, quàm cum toto mundo etiam ſeipſum damnare? Cum nulla ſint genera hominum, in quibus non aliquãdo mali bonis perniſceantur. Malè proinde dicitur, quod Canonicus ſæcularis ſit monſtrum ſine exemplo, Canonicus ſine canone, regularis ſine regula. Certè Caſſander, cuius nomine hæc conſultatio poſt mortem eius edita eſt, cum literas Latinas, & Græcas, in clariſſima patrio ſuo loco vicina Brugarum vrbe, ſub publici

ærarij ſalario,profiterentur(quamquam ibi, inter Cleuos & Alemanos in fide corruptus, diu ſubſiſtere nō potuit)& cum poſtea Coloniæ, vbi multo tempore vixit, & diem clauſit extremum, inter Canonicos verſaretur,niſi propria malitia exoecatus fuerit,non potuit non videre, maximi nominis,& auctoritatis,Canonicos,quorum & vita & eruditio,optimum habuerit, etiam apud aduerſarios, teſtimonium. Inter quos ſæpe vidit Ioannem Gropperum, legum Doctorem, Archidiaconum Colonienſem, qui Catdinalitiæ dignitatis beneficium à Paulo quarto, oblatum raro exemplo,cum magna difficultate tandem acceptauit.

In præfatione libri Ioan. de Pozibrā. Sed Alberti Crantij, grauiſſimi viri, teſtimonium ab eo profertur. Ego ſane Albertum Crantium virum grauiſſimum fuiſſe negare non audeo,cum Cochlæus eum nominet virum catholicum & egregium. Neque ego quicquam de eo ſcio,vnde contrariū ſuſpicari,multo minus aſſerere, poſſim Veriſſime ſcripſit Gregorius Nazianzenus bonos viros ſuſpicaces non eſſe:multo minus *Epiſt. 27.* temerarie & præcipitanter alios iudicant. Ego itaque nihil habeo vnde authoritatem Crantij deprimam. Multa vero occurrunt quæ eum non parum cōmendent. Imprimis publicum monumētum ſepulturæ eius, in cœmeterio cathedralis eccleſiæ Hamburgenſis, quod tale eſt, *Anno Domini M. D. XVII. in vigilia Conceptionis Virginis matris glorioſæ, ſpectabilis ac egregius vir, dominus Albertus Cramz, ſacræ Theologiæ ac Decretorum eximius Doctor, eccleſiæ Hāburgenſis Canonicus, Lector facundiſſimus, doctiſſimusq; & olim Decanus, morum & virtutum ſpecimen & exemplar,*

patriæ decus, feliciter cōceßit in fata cuius anima cum beatis molliter quiescat. Deinde scribūt etiam ex aduersarijs nostris nonnulli eum morientem de Luthero, cuius tunc motus contra Ecclesiam noui erāt, magnis suspicijs dixisse, *Frater, frater, abi in cellā, & dicito, Miserere mèi Deus.* Rursus, fuit in ea ecclesia ordinarius sacrę Theologiæ lector, ordine nonus, in Lectoris officio, quę Ioannes Fritz, eius ecclesiæ Canonicus, tēpore concilij Cōstantiensis, piè, & fundauerat, & dotauerat. An verò collegiū illud eum elegisset Decanū, si fuissent regulares sine regula, Canonici sine canone? Quales fuerint eius inter suos cōfratres lectiones, quā graues, quā eruditę, animaduerti potest ex opusculo prelectionū eius, in officium Missę, quod Rostochij vnicum ex omnibus ei⁹ lucubrationibus, ipso viuēte quod sciam, editum est.

Prodierūt quidem, annis aliquot post eius obitū, opera eius historica, in quibus viris bonis, quædam displicere fateor. Sed cum notū sit opera illa eo mortuo ab hæreticis auctoribus edita, esse ego longe malim in eam sententiā propendere, quod hæc à reprobis circa fidē, operibus eius inserta sint, quā ipso auctore profecta. Quā enim familiare sit hæreticis bonos auctores corrumpere, & notū est, & semper in ecclesia notū fuit. Quamdiu ergo mihi aliud non constat, ego in viros perfidos omnem culpum suspicionē reijcio, & Alberti Crantij nomē exonerare, ac tueri, & malo, & debeo. Alioqui quæ in Metropoli eius initio libri quarti, & alibi, de Canonicis sæcularibus leguntur, siue eius sint, siue aliorum, talia sunt, vt à viris bonis, & doctis, per omnia non probentur. *Li 7, c. 50.*

Canonicos esse opitulatores in Ecclesia Dei.

Caput XXVII.

QVi vero in munia & officia Canonicorum oculos suos inijcere volunt, ij ignorare non possunt, magnam eorum esse in Ecclesia Dei dignitatem, multamque functionem. Quamuis enim in cauendis vitijs, & amplectendis virtutibus, eorum & monachorum distare non debeat vita, hoc tamen peculiare habet Canonicæ vitæ institutio, quod cū Episcopo suo debeat quisque pro sua vocatione molem ecclesiastici ministerij ferre. In qua functione, etsi præ cæteris habeantur honoratiores, qui in cathedralibus resident ecclesijs, veluti ipsius Episcopi confratres, consiliarij, & assessores: clero autē inferiorum ecclesiarum non eadem sit authoritas, habet tamen & ille suam in iuuanda plebe solicitudinem & curam. Canonica enim vita requirit, vt sub obedientia Episcopi, in vinea Domini laboremus, & gregem episcopali eius curæ concreditum, cū eo pascamus exemplis bonæ vitæ, officioque Canonico: & quia diuersæ vocationes, & distinctæ spiritus donationes, sunt, vt quisq; secundum suam vocationem talentum sibi concreditum, vtiliter in vsum Reipublicæ expendat, ne veluti sal infatuatum ab omnibus conculcetur, & veluti seruus piger & inutilis in tenebras proijciatur exteriores. Quid enim turpius quā assumptum esse in Senatum Ecclesię, & sibi viuere velle, non autem alijs, prout possit prodesse? ministrū esse Reipublicæ Christianæ, & pro ea republica laborare nolle? an non est hoc degenerem esse militem

Syn. Aquisgran. Cap. 115.

Matth. 5.

Ibid. 25.

militem Christi? Beati sunt ergo illi Canonici, & vere omni laude dignissimi, qui non contenti bona vita, & canonico Ecclesiæ officio, secundum mensuram donationis opitulatores esse cupiunt in Ecclesia Dei, scientes hanc esse vocationē suam Vnicuique enim datur manifestatio spiritus: ad vtilitatem, addit Apostolus, vt significet diuisiones gratiarum, ministrationum, operationum, dari non vt eis habitis quiescamus, sed vt ad vtilitatem communem eis vtamur. Quod quàm maximè locum habere debet in ijs, qui ad sortem ministerij Ecclesiastici vocati sunt, & de altari viuunt. Vnde & Canonicæ regulæ primaria fuit institutio, vt essent sub Episcopo clerici, qui nunc Canonici dicuntur, sanctè, secundum canonem suum, viuentes, & prompti ad omne ecclesiasticum ministerium, ad quod à præposito suo ordinarentur. *1. Cor. 12.*

Quamquam autem hæc vetus disciplina collapsa sit, nō sic tamen defecit, quin boni Canonici in huiusmodi sanctis officijs, aut à superioribus requisiti, aut vltranea voluntate charitate in rēpublicam Christianam eos impellente, libenter sese exerceant. Vnde & se, & ordinem suum, non modò apud bonos, sed etiam apud malos, plurimum commēdant: sicut alios esse dolendum est qui per dissolutam vitam, & sese, & professionem suam Canonicam, apud homines infirmos, & malitiosos, quàm plurimum dehonestant.

Quæ autem, & qualia, sint in Canonicorum collegijs officia, sequenti deinceps libro prosequemur.

DE CANONICORVM OFFICIIS,

Liber Secundus.

Onera inter Canonicos multo tempore communia fuisse.

Caput I.

Act. 4. QVOD in Actis Apostolicis legitur, multitudinis credentium fuisse cor vnū, & animam vnam : omniaq; illis fuisse communia, hoc non solum à primitiue ecclesiæ clericis obseruatum fuisse sed etiam dum alij ab hac sancta communione degenerarent, in cleri Canonice viuentis collegijs per aliquot sęcula perdurasse, ex superiori libro est manifestum. Cuiuscemodi autem fuerit ea communio, hoc est, quam plena amoris, quietis, & omnis boni, ex ijs monasterijs pijs discere licet, quæ hodie ex voto in hac tam sancta cōmunione perdurāt, vt cum Ephræm exclamare libeat; *Paradisus fructibus lætitiæ, ac varijs floribus plenus, multitudo est monachorum,* De cordis c. 2 *in id ipsum adornata in dilectione Dei.*

Fuerunt autem illis Canonicis omnia communia, non tantum possessiones, aut pretia rerum venditarum, sed & onera. Multitudinis enim erat cor vnum, & anima vna. Quod vnus volebat, volebant omnes. Vno laborante, collaborabāt reliqui. Non ibi, quot capita, tot sententiæ, sed omnium vna erat, eademque, animorum consensio.

Non

Non quod in sanctissimis illis clericorũ congregationibus & collegijs, omnium fuerit officiorum confusum & perturbatum cahos, aut quasi tum tẽporis nulla fuerit muniorum inter eos diuersitas. Impia foret hæc cogitatio. Semper enim in Dei ecclesia, & in clero, ordinatissima fuit officiorum varietas, & distinctio. Sicut enim in corpore humano, quod vnum est, & vno spiritu viuit, multa sunt membra, suis officijs distincta, quæ in corpore non faciunt schisma, sed pro inuicem solicita sunt: Et, si quid patitur vnum membrum, compatiuntur omnia mẽbra: siue gloriatur vnum membrum, congaudent omnia membra: ita in Ecclesia, quę Christi corpus est, multa quidem mẽbra sunt, sed quę omnia eundem spiritũ aut habent, aut habere deberẽt: Quod etiam in Canonicorũ collegijs quę vnum communitatis suæ corpus repræsentãt, tãto fuit religiosius obseruatũ, quanto fuit arctior inter eos animorum, & cordium, coniunctio. *1.Cor. 12.*

Sicut igitur in humano corpore non humeri, non pes, nõ manus, capitis officium inuadunt, aut sese mutuo in suis functionibus turbant, vel impediunt, sed potius cooperantur: eum in modum, feruente charitate, sicut bonorum, ita & onerum, erat communio. Episcopi ad omnes functiones Ecclesiasticas, quas charitas imperabat officiosissimi, & obsequẽtissimi, erant. Si quam etiã operam aliquis ex cõfratribus requirere videretur, statim, charitate propellente, membra vnius corporis sibi mutuo præsto erant, vt in illis societatibus locum habuerit, quod de fratribus secundum carnem Sapiens scripsit, *Frater qui adiuuatur à fratre, quasi ciuitas firma.* *Prou. 18.*

Episco-

Episcopus Canonicos honorare debet vt membra Episcopatus sui.

Caput. II.

IN tam sanctis autem clericorum collegijs, semper primum locum habuit, veluti caput, Episcopus. Quare primo loco de eo agendum, & quale eius soleat, & etiam nunc debeat esse, erga Canonicos officium, explicandum est.

In primis honorandi sunt ab Episcopo Canonici vt membra episcopatus. Sic enim alicubi loquitur Gregorius septimns. *Si quis*, ait, *episcopus præbendas, archidiaconatus, præposituras, vel aliqua officia ecclesiastica vendiderit, vel aliter quàm statuta patrum præcipiunt, ordinauerit, ab officio suspendatur. Dignum est enim, vt sicut gratis episcopatum accepit, ita membra eiusdem episcopatus gratis distribuat.* In quibus verbis attende, non tantum archidiaconatum, præposituram, & similes dignitates, dici membra episcopatus, sed & præbendas. Quod nemo mirabitur, qui meminerit Canonicos ex primæua sua institutione esse opitulatores, & cooperarios, Episcopalis solicitudinis. Vnde a Patribus Tridentini Concilij monentur ea morum integritate pollere vt meritò Ecclesiæ senatus dici possint.

Causa 1. Quæst. 3.

Seß. 24. cap. 12. reform.

Hic fortaßis aliquis obijciat, Canonicos quidem cathedralis ecclesiæ rectè dici Senatores ecclesiæ illius, ac proinde Episcopatus membra, sed honorem illum non esse extendendum ad Canonicos

nicos aliarum ecclesiarum, earum potissimum quæ inter secundarias computantur. Imo vero antistes omnem clerum suum, vt membra episcopatus sui honorare debet. Quò spectat quod Hieronymus, ad tertium Isaię caput, scripsit, ecclesiam habere Senatum præsbyterorum. Quamquam enim in sacerdotio quidã sint simpliciores, quàm vt multã operam Episcopo, aut Ecclesiæ, præstare possint, dicuntur tamen & illi cuiuscunque sint ætatis, presbyteri, quod Latinè seniores significat, multisque modis ob dignitatem sacerdotij a vulgaribus hominibus honorantur, vt congruum sit non minus ab antistitite in eis sacerdotium honorari, ne si in plebe ab eo animaduertant viliori loco quosdam sacerdotes haberi, & ipsi sensim sacerdotium Dei contemnant.

Nunc verò cum episcopatus onus sit, vt quidam sancti Patres loquuntur, angelorum humeris reformidandum, cui nullus episcoporum, quantumcunque sanctus & doctus, nisi multos passim habeat per suam diœcesin subsidiarios, par sit, hinc est, quod peculiari honore & amore eos prosequi & fauore debeat, qui cum eo, & sub eo, gregem Dei pascunt, quales sunt omnes sub eo Pastores, quales sunt etiam Patres ordinum mendicantium, & Societaris IESV. Peculicater autem inter cæteros Caconici dicti sunt membra episcopatus, & senatus ecclesiæ, quia ipsi ex institutione sua sunt Episcopi cooperatores, non tantum qui in episcopali ecclesia resident, sed & cæteri. Cum enim Episcopus sub suo regimine habeat multas particulares ecclesias, non potest in eis omnia Episcopalia munia, per se exercere. sed multorũ eget solicitudine. Episcopus enim, quod Latinè inspectorem significat;

Conc. Trident. sess. 6 cap. 1. ref.

ficat; rectè dicitur, eo quod ex officio omnes inspiciat, cunctaque speculetur, quod omnium curam & superintendentiam gerat: Vnde non solum in cathedrali ecclesia, sed & sparsim intra limites sui episcopij, multis indiget cooperarijs. Quæ etiam caussa fuit, vt cum primitus Canonici fere apud Episcopum habitare soleant, postea multiplicatis populis eorum collegia alijs quoque in locis sint constituta.

Vt vero plenius intelligatur, quod Hieronymus dicit, Ecclesiam habere Senatum præsbyterorum, non erat illo tempore in presbyterio distinctio ea quæ nunc est, in Canonicos, Sacellanos, Vicarios: sed omnes Canonice viuebant, & quicunque erat presbyter, is erat Senator & consiliarius sui Episcopi. Dicit hoc Ignatius, ad Trallianos scribens, breuibus verbis: *Quid est presbyteriũ, nisi*
Epist. 2. *institutio sancta consiliarij, & confessoris, Episcopi?* Dicit idem paulo prolixius, sed non minus clare Hieronymus, in epistolam ad Titum scribens;
In cap. 1. *Episcopi*, inquit, *nouerint se magis consuetudine quam dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores, & in commune debere Ecclesiam regere, imitantes Moysem, qui cum haberet in potestate solus præesse populo Israel septuaginta*
Nu. 11. *elegit, cum quibus populum iudicaret.* Quibus verbus scio quosdam abuti velle, quasi Hieronymus, cum Aërio, doceat, Episcopos non esse diuino iure superiores presbyteris, nolentes aduertere quod hic Episcopos Moysi cõparet, & sacerdotes senioribus septuaginta, quodque Euagrio, Nepotiano, & Marcello scribens, plane testetur Episcopi ordinem

nem superioris gradus esse, quam sit presbyterorum. Illos, ordinare posse; hos non posse. Sed hæc multi docti contra vestri temporis Aërianos tractarunt, & ad præsentis loci tractationem non pertinent. Præsenti tamen instituto subseruit, quod clarissimis verbis dicat Episcopum debere in commune Ecclesiam regere. Et ad hoc commune regimen respexit Chrysostomus, dicens, inter Episcopum & præsbyterum interesse ferme nihil. Caussam enim addit, Quippe & presbyteris Ecclesiæ cura permissa est. Quamquam autem ab initio Ecclesiæ ex vsu Christianæ scholæ Episcopus & præsbyter non tantum officio & dignitate, sed & nominibus, discernebantur, vt ex Ignatio & aliunde, licet animaduertere, non mirum est tamen Petrum Apostolum etiam præsbyteros vocasse Episcopos, dum dicit, *prouidentes nō coacte*, Vbi Græcè est episcopãtes, siue id fecerit deflexione quadam, quia nimirum in primitiua ecclesia simul cum episcopo populi regimen apud eos erat: siue accipiēdo vocem in primitiua significatione, vt superintendentiam, sicut apud profanos authores, significet. Vnde Chrysostomus dicit in primitiua Ecclesia episcopum & presbyterum nominibus subinde communicasse.

Vide Turrianum in Clementis li. 8, c. 46.

Hom. 11 in 1. Tim. 3: De Episcopo.

1. Pe. 5.

Hesselius in 1 Tim. 3

Serm. 1 ad Philip.

Sed paulatim refrigescente charitate hoc commune regimen immutatum est. De quo Hieronymus loco præcitato, super epistolam Pauli ad Titum, scribit, *Antequam diaboli instinctu studia in religione fierent, & diceretur in populis, Ego sum Pauli, ego Apollo, ego autem Cephæ, communi presbyterorum consilio ecclesiæ gubernabantur.*

1. Cor. 1.

Postquam

Postquam vero vnusquisque eos quos baptizauerat suos putabat esse non Christi, in toto orbe decretum est, vt vnus, de presbyteris electus, superponeretur cæteris, ad quem omnis ecclesiæ cura pertineret, & schismatũ semina tollerentur. Et idem Euagero. *Quod postea vnus electus est, qui cæteris præponeretur, in schismatis remedium factum est, ne vnusquisque ad se trahens, Christi ecclesiam rumperet. Nam & Alexandriæ, a Marco Euangelista vsque ad Herectam, & Dionysium, episcopos, presbyteri semper vnum, ex se electum, in excelsiori gradu collocatum, episcopum nominabant: quomodo si exercitus Imperatorem faciat, aut Diaconi eligant de se, quem industrium nouerint, & archidiaconũ vocent. Quid enim facit excepta ordinatione Episcopus, quod presbyter non faciat?*

In primitiua igitur Ecclesia quando omnium erat cor vnum, & anima vna, communi presbyterorum consilio Ecclesiæ gubernabantur. Vnde Hieronymus infert. *Nouerint Episcopi se magis consuetudine, quàm dispositionis Dominicæ veritate presbyteris esse maiores.* Maiores videlicet in regimine Ecclesiæ. Quibus verbis non significat parem fuisse potestatem in regendo Episcopi & presbyterorum, nam mox eleganti collatione Episcopum Moysi comparat, qui cum haberet in potestate, solus præesse populo Israel, septuaginta elegit, cum quibus populum iudicaret. Significat autem Episcopos maiori sua potestate vti noluisse sed quod in vsu & exercitio regiminis, pares voluerint

In dicta epist. 85.

luerint esse cum suis compresbyteris. Quod autem postea maiores facti sint, tã in exercitio potestatis quã in honore, hoc quidẽ illis ex veritate Dominicæ, dispositionis debebatur, sed tamen, quia valde humiliter cum suis presbyteris conuersabantur, non tam ex Dominica dispositione, id factum est, quam ex consuetudine, & cõmuni decreto. Quando enim primus ille feruor, & animorum concordia, refrixit; vt schismatum semina tollerentur, & ne fierent in religione, diaboli instinctu, studia; toto orbe decretum est, vt vnus de presbyteris, is videlicet qui episcopus erat, electus superponeretur in excelsiori gradu honoris, & in vsu potestatis, quam quidem à Deo maiorem habebat, sed qua tamen non nisi sicut cęteri præsbyteri vti volebat: ad illud vsque tempus, quando & ipsi præsbyteri iudicarũt necessarium esse vt ipse præ reliquis in excelsiori gradu honoraretur, & maiori potestate vteretur.

Ita pedetentim quando presbyterorum ordo multiplicatus est, multique indocti & parum valentes consilijs, ad presbyteri gradum assumpti sunt, necessitas docuit, nõ omnibus vtendum esse, vt consiliarijs, & cooperarijs. Vnde paulatim in Ecclesiam irrepsit sacerdotũ distinctio, vt alij maiores, alij minores, sint. Illud igitur concludo omnes in vniuersum presbyteros ab Episcopo esse, fouendos & honorandos, quicunque cum eo & sub eo Ecclesiæ eius curã gerunt, fouendos, inquam, & honorandos, vt Episcopatus ipsius membra, vt seniores, vt senatores, vt consiliarios, vt fratres: quantumuis illi non sint Canonici, sed vel Pastores, vel Regulares, vel etiam Sacellani. Pulchrè & vt humilem episcopum decebat, Augustinus.

Epist. 19. *Quamquam secundum honorum vocabula, quæ iam Ecclesiæ vsus obtinuit, Episcopatus præsbyterio maior sit, tamen in multis rebus Augustinus Hieronymo minor est.* Et Benedictus in regula: *Ideo omnes fratres ad consilium vocari diximus, quia sæpe minori Dominus reuelat, quod melius est.* Cap. 3.

Epist. 28. Posteriorũ tamen temporũ malitia facit, vt nõ omniũ consilio sit acquiescendũ. Vnde Bernardus scribit, ad Ardutionem, episcopũ Gebennensem. *Omnia fac cum consilio, nec tamen omnium, aut quorumcunque, sed tantum bonorum.*

Quales erga Episcopum oporteat esse Canonicos.

Caput III.

QVia autem Canonici ex primæua sua institutione sunt consiliarij, senatores, & cooperatores, Episcopi, ad præbendas vocati vt Episcopos suos officio & opera iuuent, facile intelligitur, quales sese vicissim debeant erga antistites suos exhibere. *Episcopis,* ait Conciliũ Tridentinum, *vbiq; is honor tribuatur, qui eorum dignitati par est: eisque in choro & in Capitulo, in Processionibus, & alijs actibus publicis, sit prima sedes, & locus, quem ipsi elegerint, & præcipua omnium rerum agendarum auctoritas.* Cæterum quid Episcopis competat, quid Canonicis, nõ est præsentis tractationis, sed ex corpore iuris Canonici, Seß. 25, cap. 6 ref.

nici, & ex Concilio Tridentino, est requirendum, ac solicite agendum vt honore & amore se inuicem præueniant. Facile enim diaboli instinctu inter Episcopum & Capitulum exoriuntur controuersiæ, sed illas citissime terminare, & sopire, oportet, antequam in litem exurgant, eo quod nihil turpius sit quam viros Ecclesiasticos sese mutuo litibus atterere, quos maxime oportet concordiæ & pacificationis, esse studiosos, exemplo diui Augustini, qui qualem se præbuerit in sæcularibus causis dirimendis, aut præcidendis, (quam tamen occupationem suam, à rebus melioribus tanquam angariam, deputabat) notum est, tum ex Possidio, tũ ex ipsius libro de opere monachorũ. *Poss. c. 19. Aug. c. 29*

Scripsit pulchrè Bernardus Eugenio Pontifici, *Illas quas ad te necesse erit intrare causas, (neque enim omnes necesse erit) diligenter velim, sed breuiter, decidere assuescas, frustratoriasque & venatorias precidere dilationes. Causa viduæ intret ad te, causa pauperis, & eius qui non habet quod det. Alijs alias multas poteris committere terminandas, quamplures nec dignas audientia iudicare.* *Bern. li. 1. de consido cap. 10.* Talem oportet esse quemque Episcopum in suo Episcopatu: tales quoque conuenit esse Canonicos qui ad controuersias dijudicundas & dirimendas sunt idonei. Ideoque Episcopus & Canonici, quam maxime inter se paci studeant, ne subditorum suorum offensionem incurrant, & nominis sui dignitatem mutua altercatione dehonestent. Memierint quid sint. Hieronymus scribens ad Marcellam aduersus Montanum. *Apud nos,* inquit, *Apostolorum locum episcopi tenent.* *Hiero. epist. 54. & 85.*

Et ad Euagrium. *Quod Aaron, & filij eius, atque leuitæ, in templo fuerunt, hoc sibi Episcopi, & presbyteri, & diaconi, vendicent in ecclesia.* At vero Ignatius, Apostolicus scriptor, ad Trallianos scribens, reuereri vult Episcopos tanquam Dominum IESVM Christum: presbyteros vero, sicut consessus Apostolorum Christi. Et ad Magnesianos, *Aßidet*, inquit, *Episcopus in loco Dei, & presbyteri in loco consistorij, Apostolorum.* Meminerint Canonici suum antistitem esse patrem patrum, &, vt in Constitutionibus Clementis legitur, ipsum exemplar Dei apud omnes homines repræsentare, præsidendo omnibus hominibus, sacerdotibus, regibus, magistratibus, parentibus, filijs, & pariter cunctis subditis.

Ignatius in epist.

Lib. 2. cap. 11.

De Præposito.

Caput IIII.

POst Episcopum est in multis ecclesijs prima dignitas Præpositi. Et quidem, vt alias huius vocis significationes seponam, per Præpositum in ecclesijs clericorum primo significabatur Episcopus. Vnde apud Cyprianum legitur, *Quantum perniciosa res est ad sequentium lapsum ruina præpositi, intantum contra vtile est, & salutare, cum se episcopus per firmamentum fidei fratribus præbet imitandum.* Ad quem locum Iacobus Pamelius docte obseruauit, & annotauit, præpositi vocem Cypriano in multis epistolis familiarem esse pro Episcopo, & similiter vsitatam esse

epist. 4.

Pamelius in Cypr.

esse à Tertulliano in libro ad Martyres. Eodemque refert illud veteris interpretis, *Obedite præpositis vestris.* *Hebr. 13.*

Quia vero propter molem occupationum Episcopus, sicut nunc, ita etiam olim, frequenter ab ecclesia cathedrali, & à clero suo, abesse cogebatur; & quia vniuersus clerus suo Episcopo sicut monachi suo Abbati, subesse solebat, hinc in cathedrali ecclesia, & vbicunque erat vllum Clericorum collegium, ab Episcopo vnus constituebatur, qui eo absente, præpositi, & nomen, & officium, gerebat.

Magnam autem fuisse horum præpositorum auctoritatem, & nomē indicat, & quod tam multa legantur in Corpore Iuris Canonici, & in ecclesiarū archiuis, tū rescripta, tum constitutiones, in quibus primo loco Præpositus nominatur, deinde Decanus, totumque Capitulum. Et diuus Benedictus meminit, quosdam præpositos monasteriorum, tam fuisse maligno superbię spiritu inflatos, vt existimarent se esse secundos abbates, ideoque visum fuit ei propter pacis, charitatisque custodiam, expediens, per Decanos ordinari omnem vtilitatē monasterij, prout abbas disposuerit. *Regulæ cap. 65.* Subdit tamen, *Quod si aut locus expetit aut congregatio petierit rationabiliter cum humilitate, & abbas iudicauerit expedire; quemcunq; elegerit cum consilio fratrum timentium Deum, ordinet ipse sibi præpositum. Qui tamen illa agat cum reuerentia, quæ ab Abbate suo ei iniūctæ fuerint. Qui si repertus fuerit vitiosus, aut elatione de*

ceptus, aut contemptor regulæ: admoneatur verbis vsque quater: si non emendauerit, adhibeatur ei correptio disciplinæ regularis: quod si nec sic correxerit, tunc deijciatur de ordine præpositura, & alius, qui dignus est, in loco eius surrogetur.

Quales autem solent esse sub Abbatibus Præpositi in monasterijs, tales erant quoque sub obedientia Episcopi Præpositi in monasterijs siue collegijs Clericorum, de quibus in Aquisgranensi cōcilio sub Ludouico augusto edita sunt duo capita, quæ prorsus veterem Præpositorū statum illustrant. Ideoq; ea hic integre transscribam. *Oportet*, inquiunt Patres, *ecclesiæ prælatos vt de congregatione sibi commissa tales eligant boni testimonij fratres, in quibus onera regiminis secure possunt partiri. Quibus etiam talem conferant potestatem, vt vice illorum fungentes, & inobedientes canonica censura corripere, & obediētes hortando ad meliora valeant prouocare. Non enim constituendi sunt personaliter, aut eo ordine quo in collegio fratrum admißi sunt, sed secundū vitæ meritum, & spiritualium donorum prærogatiuam, qui & in congregatione aßidui sint, & fratrum curam peruigili studio gerant: & sicut alios præcedunt magisterio, ita nimirum innocentis vitæ informent exemplo, vt iuxta Apostolum, exemplo sint cæteris in verbo, in charitate, in fide, in castitate, & cæteris. Qui etiam si prioratus sui causa intumesce-*

Cap. 138

1. Tim. 4.

tumescere cœperint, & curam fratrum nihili penderint, si crebro admoniti incorrigibiles extiterint, à monasterio propellantur, aliique in loco eorum, qui id strenue peragere possint, substituantur. Deinde sequitur aliud caput, quod inscribitur, De præpositis. *Quamuis omnes qui præsunt, præpositi rite dicantur, vsus tamen obtinuit eos vocari præpositos, qui quandam prioratus curam sub aliis prælatis gerunt. Hi tamen, qui iuxta hunc morem præpositi vocantur, tales & tam strenui à prælatis sunt cōstituendi, qui & vitæ probabilis sint, & ea quæ sibi iniuncta sunt, fideliter, humiliterque, expleant. Et pro eo quod aliis prælati sunt, nequaquam paruipendant Canonica instituta; sed quanto plus implicantur in fratrum curis, tanto magis studeant cœlestibus obtemperare monitis. Debent igitur cunctæ congregationi præpositi esse vtiles, & de ministerio commisso fideliter prodesse. Ea vero quæ fratribus dare debent, cū charitate tempore opportuno incunctanter præbeant, quatenus à Domino de fideli administratione gradum bonum acquirant. Erga huiuscemodi vero delinquentes, & obediētiam sibi commissam bene non administrantes, modus superius comprehensus tenendus est,* Cap. 139.

Et hactenus ex Aquisgranensi Concilio de Præposito, qui in Moguntiacensi synodo, & alibi aliquando magister, aliquando minister, dicitur,

ſicut etiam in præcitatis verbis magiſterij & miniſterij eius mentio ingeritur.

Quantum autem ab eo diſcrepent noſtri temporis Prępoſiti, quos in Belgio habemus plurimos facile ex collatione licet animaduertere. Tunc præpoſitura erat officium, nunc eſt beneficium: tunc erat obedientia, nunc eſt dignitas: tunc erat magiſterium, & miniſterium, nunc eſt nudi fere nominis prælatura: tunc in congregatione & peruigili cura fratrum aſſiduus erat, nunc pauciſſimi reſident: Imo in territorio Leodienſi omnes Præpoſiturę opulentiores poſſidentur à cathedralibus diui Lamberti Canonicis: tunc Præpoſitus in victu & veſtitu par eſſe volebat cæteris fratribus, nunc quando Feſtum eſt Præpoſiti, neceſſe eſt, vt quibuſdam in locis ſiue præſens, per ſeipſum, ſiue abſens, per vicepræpoſitum, ſicut choro, ſic & in menſa prælatizet, vt loquuntur. Tunc Præpoſitus, Epiſcopi vice, pręerat Canonicis: nunc per exemptiones, & contrarias conſuetudines, omnis illa auctoritas ſublata eſt. Quamuis Epiſcopis, auctoritate Concilij Tridentini, multa, tanquam ſubdelegatis Apoſtolicæ Sedis, ſint reſtituta ſed nihil tale legimus de Præpoſitis, vt ſi noſtros ad priſcos illos conferamus præpoſitos, nihil fere aliud videamur reſeruaſſe, quam vmbram quandam veteris præpoſituræ, quæ adhuc relucet in prima ſeſſione, in opimis fructibus, qui tamen in nonnullis locis iuſti Dei iudicio propter intermiſſam reſidentiam, multum attenuati ſunt: rurſus in collatione beneficiorum, & in alijs nonnullis. Inter quæ illud in quibuſdam collegijs præcipuum eſt, quod ad eos præſtito iuramento pertineat iura & ſtatuta eccleſiarum tueri, atque defendere. Sed

Cōcilium Coloniēſe an. 1549.

quo

quo ad regimen Canonicorum, & curam animarum Capituli vnde primitus dicti sunt præpositi, prorsus emortua & extincta est vetus ecclesiastica disciplina, præterquam apud paucissimos.

Qui igitur ab hoc postremo onere præsentibus temporibus est liberatus, meminerit saltem vt (si id incumbat,) iura ecclesiæ tueatur: meminerit vt purus sit in conferendis beneficijs, ne, si aliter faciat, grauissimum Dei reportet iudicium: & quia nunquam clericis bonæ voluntatis desunt officia & exercitia ecclesiastica, quibus se, & Deo, & hominibus, commendent, meminerit eum qui cæteris antistat honore, etiam merito & labore antistare debere: seque tanto magis Ecclesiæ Dei debitorem esse, quanto abundantiores & maiores sunt fructus, quos de altario Dei percipit. Qui vero curam animarum habet, non contemnat Concilij Tridentini de residentia decretum.

De Abbate sæculari.

Caput V.

SVnt autem quædam Canonicorum ecclesiæ, in quibus est, Abbas sæcularis, Præposito dignior Quales in episcopio & ditione Episcopi Leodiensis duodecim numerantur in Chronicis Leodiensium, videlicet,

Sanctæ Mariæ, sanctique Lamberti, Leodiensis, *Ca. 43. de*

Sanctæ Mariæ, & sanctarum Harlindis & Renulæ, Eikensis, *Richario.*

Sanctæ Mariæ, sanctique Georgij, sanctæque Odæ, Amaniensis;

Sanctæ Mariæ, & sancti Domitiani, Hoyensis:

Sanctæ Mariæ, sanctique Seueri, Messiensis:
Sanctæ Mariæ, Cennacensis:
Sanctæ Mariæ, sanctique Hadelini, Cellensis:
Sanctæ Mariæ, Namurcensis:
Sanctæ Mariæ, sanctique Perpetui, Dionantensis:
Sanctæ Mariæ, sanctique Petri, Alnensis:
Sanctæ Mariæ, sanctique Theodardi, Tudiniensis:
Sanctæ Marię, sanctique Rumoldi, Mechliniensis.

Huiuscemodi autem sęculares abbates, etsi abbates dicantur, nullum ferunt abbatialem habitū, nec mitram, nec pedum, adeo quod nomine tantum, non autem re, sint abbates: primus tamen eis, dū adsunt, recognòscitur locus: & dignitas propter collationes, quas pauci intelligunt fugiendas potius esse, (quā appetendas,) multum appetitur.

Dicunt autem plerique abbates hos sæculares in nonnullis superesse ecclesijs, quod eæ congregationes antequam essent Canonicæ, fuerint monasticæ, sub regimine abbatis, & ad memoriam primæuæ institutionis remansisse, nomenclaturam & dignitatem abbatis, etsi longe diuersam ab officio & dignitate Abbàtis regularis. Quomodo in destructo à piratis Binchorensi sancti Congelli monasterio, vsque ad tempora Malachiæ, nomen abbatis absque re permansit penes eum qui locum cum possessionibus tenebat. Sed id mihi de multis Canonicorum sæcularium ecclesijs, quæ abbates habent, non est probabile. Nam etsi de quibusdā ex citatis duodecim, ecclesijs doceri posset eas primitus non fuisse Canonici ordinis: dę pluribus tamen ex ijs certo constat nunquam fuisse monasteria monachorum. Quare Abbatum nomen quod Mechliniæ omnino extinctū est, apud alios quosdam Canonicos remanet, non ex eo quod ali-

Bernardus in vita Malachiæ.

quando

quando monasticam vitam professi sint, sed eo quod Canonici etiam abbates habere soleant. De quibus est elegans Caput Parisiensis concilij, quod habitum est sub Ludouico & Lothario Imperatoribus. Est autem tale, *Decet, immo necesse est, vt Abbates Canonicorum attendant ad quid Abbates vocentur. Si patres spiritales sunt, & filios spiritales Domino gignant, iuxta illud Apostoli, Secũdum Euangelium meum ego vos genui: merito patres appellantur: si vero secus incesserint, tanto nomine se indignos faciunt. Quapropter oportet vt memores sint illius Apostolici, quo dicitur, Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum: sed in omnibus exhibeamus nos metipsos, sicut Dei ministros: & religiose, caste, ac pudice, viuere satagant, venationibus turpibusq; lucris, cæterisque vanitatibus, paternitati suæ inconuenientibus, nullatenus inseruiant, ne per suum malum exemplum subditos ad ruinam pertrahant: quia in huiuscemodi prælatorum illicitis factis, & magnũ animarum periculum generatur, & religio clericalis à multis vituperatur. Vnde etiam summopere Episcopis, ad quorum curam pertinent, prouidendum est vt huiuscemodi Abbates ab illicitis se abstineant, & dictis & exemplis sibi subditis ad vitam æternam ducatum præbere contendant. Quod si Episcopo suo obedire, superbiendo renuerint, synodali iudicio aut corrigentur* Cap. 37. 2. Cor. 6.

aut

aut certe principali authoritate interueniente, honore prælationis priuentur. Hactenus constitutio Pariensis.

Talem abbatem habuit Traiectensis ecclesia sanctum Gregorium, cum esset vicarius sancti Bonifacij archiepiscopo sui, vt apud Hucbaldum, & alios scriptores, videre licet. Cuius sanctissimam vitam sanctus Ludgerus, primis episcopus, Monasteriensis, descripsit.

Linbaldus in vita Lebuini, Nou. XII

Quid autem mirum est, Canonicos Traiectenses, viros Apostolicos, qui libētissime, & se fratres vocabant, & ab alijs vocari cupiebant, præfectum suum Gregorium, digniori titulo patrem, aut abbatem, nuncupasse? Cum enim Bonifacius, non modo Traiectensium, & Frisonum, sed & Germanorum esset Apostolus, eo absente quid aliud in Gregorio vicariatus exigebat, quam vt erga omnem clerum, & populū, tam Traiectensem, quam inferioris & vlterioris Frisiæ, paternum animum exhiberet? Quod sane tanta pietate effecit, vt non alium Bonifacius post exantlatos in Germania labores, post consummatum in Frisia martyrium, in Traiectensi sede habere meruerit successorem, quam hunc Gregorium, qui in vicaria opera iam multis annis probatus fuerat. Tunc autem qui antea dictus fuerat pater, siue abbas, non dubium est, quin ad Episcopalem solicitudinem euectus, à clero suo dictus sit papa, hoc est, maior pater, siue vt nonnulli interpretantur, pater patrum. Hunc enim morem loquendi qui etiam apud Hieronymum & Augustinum, & in vita Cypriani, occurrit, in Gallijs vsitatissimū fuisse; ex Sidonij Apollinarijs epistolis, ex Fortunati operibus, & aliunde, notissimum est.

Hoc

Hoc vero ignoro, an Gregorius, dum esset Conuentus Canonicorum Vltraiectensium abbas, eorum fuerit præpositus, an vero fuerit vicarius generalis totius parochiæ, siue diœcesis, habēs sub se præpositum, qui specialiter sub eius obedientia curam gerebat fratrum ecclesiæ castri Traiectensis. Posterior sententia mihi est verisimilior, quod maiores nostri noluerint greges sibi cōmissas absque præfectis relinquere, vnde quando Episcopi Ecclesias suas visitabant, vbi abesse cogebantur, per præpositum officium suum absentes exhibebant. Quare opinor Bonifacium, cum inter Thuringos, Cattos, aliosque Germaniæ populos, Apostolatum suum exerceret, plene Traiectēsibus prospexisse, vt eis reliquerit & vicarium generalem, & apud omnes fratres, sub se, aut sub suo vicario generali, præpositas particularium conuentuum.

Illud etiam ex anterioribus huc in memoriam reuoco, in nouellis primarum ecclesiarum constitutionibus, siue plantationibus, propter raritatem ministrorum, non modo clericos, sed etiam monachos, ab Episcopis ad suas ecclesias cathedrales euocatos esse, & quosdam spiritu dilatandi fidem catholicam inflammatos, animo ad martyrium præparato, vltro sese obtulisse, ad subeunda sub obedientia Episcopi dura cum infidelibus certamina. Illi autem partim monastice, partim Canonice, in Canonico conuentu, sub obedientia Episcopi, aut Præpositi, tanta animorum concordia viuebant, vt non nisi vnum spiritum, eandemque animam habere viderentur, vt eum quē Canonici Præpositum vocabant, alios monastice viuentes libentius putem Abbatem, quam Præpositum,

tum, vocasse, quod is titulus magis eorum professionem deceret

Vnde autem quædam inferiores ecclesiæ, vt Namurcensis ad sanctam Mariam, habeant & sæcularem abbatem, & præpositum, discere malim ab eis, quam eos docere. Quod si alicunde colligi possit, ibi fuisse quandoque monasticæ vitæ obseruantiam, facile, & vltro, in vulgi descendam sententiam, abbatis titulum & dignitatem ex vestigijs monasticæ vitæ superesse. Sed eius rei nullum habeo documentum, aut de hac, aut de alijs quibusdam secundarijs ecclesijs, quæ huiusmodi habent abbates: nec mihi aliud de eis occurrit, quàm quod apud anonymum historicum Leodiensem legi, Richarium episcopum, exemplo antecessorum suorum, Franconis & Stephani, multas ecclesias à Nordmannis destructas reędificasse, & in eis clericos constituisse, vnumque ex eis, cui hospitalitatem demandauit, abbatem nominasse. Hinc ego crediderim factum esse, vt, dum melioribus temporibus clerus augeretur, in nõnullis ecclesijs Canonicorum, distinctæ sint Abbatis & Præpositi dignitates, etsi eæ, si primitiua spectemus tempora atque officia, nunc vix vmbram primę dignitatis referuent. Attamen nec huiuscemodi abbatibus, etsi prima disciplina collapsa sit, deesse officia, in quibus rem publicã Christi iuuare possint, ex ijs quæ de Præposito diximus, satis intelligitur.

Chron. Leodien.

Sunt autem alterius generis abbates sæculares, qui regularis vitæ & professionis abbatias possident. Quales multos aliquando Belgium nostrum habuit, per quos turpiter florentissimorum monasteriorum disciplina sæpe est collapsa. Quis enim explicare posset quantum mali laica manus

intu-

intulerit monasterijs plurimis, vtpote, diui Bertini, diui Vedasti, Lobio, Crispinio, Prumiæ, & alijs multis, quando Reges, Comites, & alij huius sæculi principes, abbatias eas aut pro se, aut pro suis nobilibus, & militibus, turpiter occuparunt, & inuaserunt: Res sane fœdissima, quæque, Deo irato, multum calamitatis & principibus, & eorum ditionibus, intulit.

Cum huiusmodi autem sæcularibus abbatibus etiam numerandi sunt viri ecclesiastici, qui cum regularem vitam nec professi sint, nec profiteri velint, abbatias tamen comedunt, vt viri simplices & recti corde loquuntur: quod alij honestioribus vocibus tegere malunt, dicentes eos monasteria in commendis habere. Quæ res, etsi possit aliquando, publica Romani Pontificis auctoritate, honeste transigi, plerumque tamen multæ turpitudinis speciem habere, cõmunis est omnium hominum, tam proborum, quam improborum, sententia. Notum quoque est multa monasteria sub huiusmodi commendatarijs, siue irregularibus abbatibus, & in spiritualibus, & in temporalibus, plurimum collapsa esse. Qua de causa Philippus Austriacus, Hispaniarum rex, dum Brabantiæ Dux inauguraretur, solicitatus ab Ordinibus, in diplomate læti introitus libens promisit, & iurauit, se huiusmodi irregulares Abbates in nullo Brabãtiæ monasterio admissurum esse.

Nata est inde postmodum grauis quæstio an non repugnet huic iuramento quod Romanus Põtifex, eodem rege solicitante, cũ nouos crearet in Belgio Episcopatus, Abbatias tres Affligenium, & Tõgerloum, & diui Bernardi ad Scaldim monasterium, Episcopatibus Mechliniensi, Buscoducẽsi, &

Antuer-

Antuerpiensi, dotis causa incorporauit, ita vt Sedes illæ Episcopos habeant dictorum monasteriorum vel abbates vel abbatum loco administratores. Sed disputatio illa per Collegia quædam Doctorum, discussa fuit, & sopita: postmodũ tamen, per annorum paucorum experientiam, animaduersum fuit (quod etiam à dictis collegijs suggestum erat,) melius fore, & Episcopo, si nullam haberet monasterij administrationem, sed dotis causa honestam competentiæ, pensionem: & monasterio, si assignata Episcopo sua annua portione, proprium haberet & regularem abbatem, qui sua auctoritate & præsentia longe melius, quam absens Episcopus, & disciplinam, & residuum bonorum, conseruaret. Certe sanctus VVolffgangus episcopus Ratisponẽsis induci nõ potuit, vt simul esset episcopus, & exemplo suorum decessorum, abbas monasterij sancci Emmerani. Qua in re quã constans permanserit, ex vita eius, quæ in Surij tomis eam legere & imitari volentibus obuia est, clare cognoscitur. Sed hæc magis monasteria, quam Canonicas concernunt ecclesias.

Vita sua ad 31 Oct. cap. 15. & 16.

Reliquum est videre qua ratione Hannoniæ Comes Abbas sit Ecclesiæ sanctæ VValdetrudis, in ciuitate Montensi. Id enim non est recens, cum in dicta ecclesia Comes Balduinus, agnomine diues, sepultus sit addito Abbatis titulo. Itaque cum celeberrimum, monasterium Canonicorum diuersis sæpe inuolueretur difficultatibus, visum eis fuit expedire, vt extincta inter eas Abbatissæ dignitate, omnis sacri conuentus admnistratio per quatuor seniores Canonicas fieret, quæ in locum Abbatissæ in regimine succederent: & vt ab Apostolica Sede, cum sæpe ex Abbatissæ electione grauissimæ

uiſſimę enatæ eſſent turbę, expeteretur Hannonię Comes, perpetuus defenſor, & abbas ſæcularis. Hinc factum eſt quod, quicunque inauguratur Hannonię Comes, abbas fiat ſæcularis dictæ eccleſiæ Cui fructus dantur, iam olim Abbatiſſæ deputati, eorumq; poſſeſſio traditur per pedum, quod in proceſſionibus ei antefertur, eoque abſente nihilominus quoque defertur. Ipſe vero Comes viciſſim vt abbas & protector iuramentum præſtat de ſeruandis libertatibus, priuilegijs, immunitatibus dictæ eccleſiæ, & de defendendis earum perſonis. Quod iuramentum, arctiſſime & illibate hactenus obſeruat, generoſas illas dominas, ſemper vt conſorores, ſuas honorans, eaſq; & Canonicos, conſiliarios earum, non reſidentes: & alios Canonicos earum, in eccleſia ſancti Germani reſidentes, ab omni & quacunq; exactione immunes eſſe decernens. Et illæ viciſſim in Belgij triſtiſſimis turbis, & alterationibus, tam conſtanter ſuo abbati & domino adhæſerunt, vt earum cōſtans prudentia & Regi Hiſpaniarum Philippo fuerit gratiſſima, & bonis, omnibus in eo ſexu, admirabilis.

De Decano.
Cap. VI.

EST etiam inter Eccleſiaſticas dignitates valde celebre nomen Decani: Nec abs re, cum is ſit caput Capituli. Et initio quidem nomen hoc in ea ſignificatione incognitum fuit, quando collegia Canonicorum regebantur ab Epiſcopo, aut ab eius vicario, qui & præpoſitus, & magiſter, aut miniſter, dicebatur. Veriſimile eſt autem poſtmodum nomen & officium, Decanorum Canonicos

ad se transtulisse ex moribus monachorũ, prout libẽter eorũ pietatem imitari, & sectari, solẽt. Inter eos aũt Decani dicebantur quod denis essent præpositi. De quibus speciale extat Capitulũ apud Benedictum, quod tale est. *Si maior fuerit congregatio, eligantur de ipsis fratres boni testimonij, & sanctæ conuersationis, & constituantur Decani, qui solicitudinem gerant super decanias suas, in omnibus, secundum mandata Dei, & præcepta Abbatis sui. Qui Decani tales eligantur, in quibus securus Abbas partiatur onera sua, & non eligantur per ordinem, sed secundum vitæ meritum, & sapientiæ doctrinam. Quod si quisq; ex ipsis aliqua forte inflatus superbia repertus fuerit reprehensibilis, correptus semel & iterum, atq; tertio, si emendare noluerit, deijciatur, & alter in loco eius, qui dignus est, subrogetur.* Hactenus Benedictus, Decanorum etiam mentio est apud Augustinum in libro primo de moribus ecclesiæ, contra Manichæos, & apud Ioannem Cassianum, in libro quarto de institutis cœnobiorum. Instituti sunt autem ad exemplum decanorum quos Moyses ex cõsilio Iethro sacerdotis constituit; Fortassis igitur inter veteres Canonicos fuerunt eiusdem generis Decani, quamquam eius rei nondum mihi occurrerit euidens documentum.

Cap. 21.

Aug. capite 31. Cassianus c. 7

Exod. 18.

Cæterum posterioribus sæculis receptum est, vt quantũcunq; numerosum sit collegiũ Canonicorũ, vnicum habeat Decanum, qui ab omnibus Capituli caput agnoscitur, & curã animarum habet tã Canonicorum, quã inferioris suæ ecclesiæ ceri.

Ideoque Consilium Lateranense, sub Alexan-

dro tertio habitum, hunc in modum constituit: *Decanatus, archidiaconatus, & alia ministeria, quæ animarum curam habent annexam, nullus omnino suscipiat, nisi qui iam vicesimum quintũ ætatis anuum attigerit, & qui scientia & moribus existat commendandus. Quod etiam Concilium Tridentinum repetijt, sessione XXIIII.* Cap. 3.

Cap: 12. reformationis.

Sane multa opus est prudentia, auctoritate, eruditione, & morum probitate, vt Decanus dignitatem suam tueatur. Pastor est ipse omnium Canonicorum, & inferioris cleri, qui pro his omnibus & singulis redditurus est deo rationem. Nec tãtũ Pastor est, sed caput collegij, qui, sicut bonus paterfamilias, domui suæ præesse debet. Est enim ei familiæ Ecclesiasticæ regimen commissum, vt honorem domus Dei tueatur, vt disciplinam conseruet in clero, vt in rebus spiritualibus, & temporalibus, cõseruandis, ministerium sibi concreditum adimpleat, nec tam pręesse, quam omnibus & singulis prodesse, velit. Quam arduum autem sit hoc munus, non ignorant multi viri boni, qui in collegijs Canonicorum sincere Deo placere cupiunt.

Si autem quædam occurrant quæ Decanus ex officio suo quã maxime correcta esse velit, quæ tamẽ, potentia & malitia quorundã pręualente efficere nõ possit, non propterea deijciatur, aut Decanatũ dimittat: sed propter bonos in sua functione perseueret: malos vero, si nõ precibus, vel admonitione vel correctione, saltem patiẽtia, & orationibus ad Deum fusis, emollire conetur. Si propter homines malos & incorrigibiles, boni Pastores suas dimitterent ecclesias, qui tãdem boni Pastores in innumeris ecclesijs, earũ potissimũ prouinciarũ,

quas hæresis infecit, remanerent? Non itaque Decanus nimium deijciatur, si videat in clero suo nō id ab omnibus se obtinere posse quod Christiana & Ecclesiastica disciplina requirit. Ad cuius dictæ rationem exemplum mihi liceat adhibere domesticum. Louaniensis diui Petri ecclesia habet Præpositum, Decanum, Canonicos 18, Cantorē Scholasticum, Plebanum, Canonicos secundæ fundationis decem, Thesaurarium, Sacellanos, & Vicarios vltra septuaginta quinque. Benedictus sit autem Deus quod in hoc venerabili clero ne vnus nunc resideat de incontinentia suspectus. Cæterū sub Adriano Florentij postea Pontifice summo Nicolao Coppin, & Ruardo Tappero, non deerāt notorie incōtinentes, & quod peius est, incorrigibiles. Erāt dicti Decani pietate, castitate, eruditione, zelo, & prudentia, illustres. Qui multum cōtra talium, continentiam laborarunt, tandem tamen remissiores fuerunt, significantes sibi id displicere, quod emendare non poterant, alijs eis resistentibus, aut nullam opem ferentibus, sæpe tamen inculcantes, quam illud, fœdum & enorme sit in sacerdote peccatum. Meminit Moringus Adrianū, sextum postea eo nomine Pontificem, hac fere de causa vitam amisisse, quod vnius è Canonicis, à quo ad prandium vocatus erat, concubina, holusculum eius toxico infecerat. Vnde grauissime ægrotauit, & non nisi post aliquot annos opera Ioannis Spiringi, expertissimi medici, plane curatus. Horum exemplo ferenda sunt aliquādo quę emendare, aut per nos, aut per superiores, nō possumus. Quæ tamen nunc, eorum, vt confidimus, precibus in cælo adiuuantibus, omnino correcta sunt.

In vita Adriani VI.

De

De Archidiacono.

Caput VII.

QVoniam vero grauis & lata est Pastoralis officij cura, recte cōstitutum est vt aliqui in ecclesia sint, qui vna cum Episcopo onus ferant, & sui prelati valeāt subleuare solicitudinem. Talis est Archidiaconus, qui maior post Episcopū, & eius vicarius reperitur. Cuius vigilantia & solertia vsque adeo in domo Dei excubare debet, vt oculus Episcopi nō immeritò meruerit appellari. Ea propter debet is audire iurgia singulorum, & quæ corrigenda & emendanda viderit, corrigere, & emendare. Quod si qua fuerint ita ardua, quæ per eum cōmode non possint terminari, ad Episcopum suum terminanda deferet. Dispiciet quoque vt Primicerius, Sacrista, & Custos, iniuncti sibi muneris solicitudinem diligenter exequātur. Sed & tertio quoque anno, si Episcopus non poterit, vniuersam Parochiam circumire debet, & cuncta quę ordinatione vel emendatione indigere viderit, secundum Canonicas sanctiones corriget, & si Episcopi auctoritas accesserit, excommunicationis etiam sententiam feret. Hactenus Institutiones Iuris Canonici, quæ apud Paulum Lancelottum, Iureconsultum fusius explicata legere licet. Et in margine adijcitur ad Archidiaconum spectare institutionem in beneficijs & dignitatibus, sed committere curam animarum pertinere ad Episcopum.

Extit: 23. lib. I. decretalium, qui est De officio Archidiaconi.

Huc etiam referenda sunt, quæ de archidiaconis à Patribus Tridentinis sunt decreta. *Cum*

Sess. 24. cap. 12.

inquiunt *dignitates in ecclesiis præsertim cathedralibus ad conseruandam, augendamque, ecclesiasticam disciplinam, fuerint instituta, vt qui eas obtinerent, pietate præcellerent, aliisq; exemplo essent, atque Episcopos opera & officio iuuarent: meritò qui ad eas vocantur, tales esse debent, qui suo muneri respondere poßint. Nemo igitur deinceps ad dignitates quascunque, quibus animarum cura subest, promoueatur, nisi qui saltem vigesimum quintum suæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine versatus, doctrina ad suum munus exequendum necessaria, ac morum integritate commendetur, iuxta constitutionem Alexandri tertii, in Concilio Lateranensi promulgatam, quæ incipit, Cum in cunctis. Archidiaconi etiam, qui oculi dicuntur Episcopi, sint in omnibus ecclesiis, vbi fieri poterit, magistri in Theologia, seu Doctores, aut Licentiati, in Iure Canonico.*

Ex his, & similibus, quæ adferri possent, decretis, manifestum est hos alia ratione archidiaconos esse, & dici, quam fuerit in primitiua ecclesia Vltraiectensi Adalbertus, aut, vt omnibus notissimum proferam exemplum, quam fuerit in Romana ecclesia famosissimus martyr Laurentius. Isti enim si ad presbyterii honorem promoti fuissent, desiissent esse aut dici diaconi vel archidiaconi, hoc est, primi inter diaconos. Hi vero de quibus in præsenti sermo est, archidiaconi sunt etiam si sint presbyteri. Quamquã aliud videatur fuisse tempore

Gre-

Gregorij magni. Quales vero, & quā celebres, viri, ad hoc archidiaconatus onus ab Episcopis assumi soleāt, vt Belgica proferā exempla, quibus libenter inter Belgas vtor, testis est Leodiensis ecclesia, quæ cum propter amplitudinem suam septem habeat archidiaconatus, ex ea dignitatē tres habere meruit ad summi Pontificatus apicem euectos videlicet Stephanum nonum, Vrbanum quartum & Gregorium decimum, quorum encomia atque elogia in Natalibus Sanctorum Belgij, quia inter beatos numerantur, breuiter explico. *Vide Gre. lib. 2, epi. 14, 15, 16.* *Natales, ad 29 Ap. 30 Sep. & 10 Januar.*

Vetus autem Archidiaconorum officium Isidorus, episcopus Hispalensis, in epistola ad Ludifredum, episcopum Cordubensem, apud Iuonem & Gratianum, hunc in modum describit, *Archidiaconus imperat subdiaconis & leuitis: ad quem ista pertinent ministeria, ordinatio vestiendi altaris à leuitis, cura incensi & sacrificij necessaria solicitudo: quis leuitarum ad populum Euangeliū: quis preces, dicat, seu respōsoria in Dominicis diebus aut solemnitatibus decantet. Solicitudo quoque parœchiarum, & ordinatio, & iurgia, ad eiusdem pertinent curam: pro reparandis diœcesanis basilicis ipse suggerit sacerdoti: ipse inquirit parœcias cum iussione Episcopi, & ornamenta, & res basilicarum, & parœciarum gesta, & libertatum ecclesiasticarum Episcopo idem refert: collectam pecuniam de communione ipse accipit, & Episcopo defert, & clericis proprias partes idē distribuit.* *Iuo lib. 3. Gratianus dest. 25.*

Epistola 151.

Non ineleganter quoque scriptum est à Petro Blesensi ad Innocentium Romanum Pontificem, Quietius & tutius mihi esset semper latuisse sub modio, quam in Archidiaconatum Londonēsem inconsultius ascendisse. Vere super ventum ascendi. Ille enim honor est in solis & puris intellectibus. Nam cum sint in illa ciuitate quadraginta milia hominum, atque centum & viginti ecclesiæ, nec à laicis decimas vel primitias, vel oblationes quamuis sacerdotio fungar accipio: nec ab aliqua ecclesiarum synodalia, vel cathedraticum, vel auxilia seu hospitia, nec aliquas consuetudines debitas archidiaconis, possum elicere à subiectis. Ego tamen supra vires meas correctioni & eruditioni tam cleri quam populi anxia & indefessa solicitudine me impendo.

De Archipresbytero. Caput VIII.

ARchidiaconum sequitur Archipresbyter, qui est pastor pastorum. Quamquam is qui in episcopali ecclesia archipresbyter residet, non sit generalis archipresbyter, habens sub se alios particularium regiuncularum archipresbyteros. Sed dici fere solet archipresbyter ciuitatensis, quod eius presbyterio subsint omnes Pastores ecclesiarum, quæ sunt intra ciuitatem episcopalem, nisi fortassis alicubi eius archipresbyterion nonnihil extendatur. Nam ciuitatensis archipresbyter Mechliniensis ecclesię etiam circum-vicinos Pastores territorij Mechliniensis, suæ solicitudini subiectos habet. Reliqui vero, Pastores pastorum,

vsitate

vsitate dici solēt, Decani rurales, vel Decani Christianitatis : sed hodie archipresbyteri suarum regionum dici malunt. Exempli gratia. Archipresbyter Louaniensis, Bruxellensis, Tenensis, Viluordiensis. Quo titulo frequenter honorantur in Concilijs prouincialibus & synodalibus Belgicis post œcumenicam synodum Tridētinam habitis. Neque id mirum est cum eis titulus is quoque tribuatur in Iuris Canonici titulo de officio archipresbyteri. *lib. 1. decretalium, titulo 25.*

Ex quo animaduertere & discere licet quænā aliæ functiones archipresbytero vrbano ex veteribus constitutionibus competant.

De alijs vero archipresbyteris vnica ibidem extat Synodalis constitutio, hunc in modum, *Vt singulæ plebes archipresbyteros habeant propter aßiduam erga populum Dei curam. Qui non solum imperiti vulgi solicitudinem gerant, verum etiam presbyterorum, qui per minores titulos habitant, vitam iugi circunspectione custodiant, & qua vnusquisque industria diuinū opus exerceat, episcopo suo renunciet. Nec contendat episcopus non egere plebem archipresbytero, quasi ipse eam gubernare valeat: quia etsi valde idoneus sit, decet tamen vt sua onera partiatur: & sicut ipse matrici ecclesiæ præest, ita archipresbyteri præsint plebibus, vt in nullo titubet ecclesiastica solicitudo: cuncta tamen referant ad episcopum: nec aliquid cōtra eius decretum ordinare præsumant.*

Ex hac autem constitutione facilè intelligitur archiepresbyterorum officium nō tātum exigere vt ipsi visitent Pastores & Parochiales ecclesias, sed etiam vt quales oues Pastores habeant, cognoscant, & ad episcopum referant.

In hoc archiepresbyterorum numero fuit inter Belgas sanctus VValherus, pagi Onhaniensis Pastor, qui ex Bouinia, oppidulo Comitatus Namurcensis, oriundus, per ætatem literis simul & probitate clarus euasit, adeo vt presbyter factus archiepresbyteratum facile sit consecutus. Quo quidem in officio cum integre & præstanter se gereret, ac impuram scelesti cuiusdam Pastoris Hasteriensis vitam intrepide & seuere reprehenderet, & castigaret, ab ipso pro Christo, dum forte Mosam traijcerent, instrumento nautico fuit peremptus. Cuius vita & mors quam fuerint pretiosæ, per crebra & celebria miracula vsque in hodiernum diem Dominus Deus ostendere dignatur.

Sanctus vero Landoaldus, qui admirabilis pueri Lamberti optimus fuit præceptor, & qui dum Amandus operam dabat gentilibus, ad religionem Christianam traducendis, totos nouem annos summa cum laude vices eius in administratione episcopatus Tungrensis gessit, is longe alia ratione dictus est archipresbyter. Siquidem cum à Martino primo pontifice propter eruditionem suam, & vitæ integritatem, in magno honore haberetur, ab eodem Romanæ ecclesiæ archipresbyter est ordinatus. Erant autem tunc archipresbyteri sanctæ Romanæ ecclesiæ, qui nunc sunt & dicuntur presbyteri Cardinales.

De Pœnitentiario.
Caput IX.

EST etiã in cathedralibus ecclesijs post Archipresbyterũ Pœnitentiarius. De quo Cõciliũ sacrosanctũ Tridentinũ hũc in modũ statuit: *In omnibus etiam cathedralibus ecclesijs, vbi id commode fieri poterit, Pœnitentiarius aliquis cum vnione præbendæ, proxime vacaturæ, ab Episcopo instituatur, qui Magister sit, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, vel Iure canonico, & annorum quadraginta, seu aliàs qui aptior pro loci qualitate reperiatur, qui dum confeßiones in ecclesia audiet, interim præsens in choro censeatur.* Seß. 24. cap. 8.

Magnopere enim *ad Christiani populi disciplinam pertinere sanctißimis Patribus nostris visum est, vt atrociora quædam & grauiora crimina, non à quibusuis, sed à summis duntaxat sacerdotibus, absoluerentur. Vnde merito Pontifices Maximi pro suprema potestate, sibi in ecclesia vniuersa tradita, causas aliquas criminum grauiores suo potuerunt peculiari iudicio reseruare. Neque dubitandum est, quando omnia, quæ à Deo sunt, ordinata sunt, quin hoc idem Episcopis omnibus in sua cuique diœcesi, in ædificationem tamen, non in destructionem, liceat, pro illis in subditos tradita supra reliquas inferiores sacerdotes auctoritate, præsertim quo ad illa, quibus excommunicationis censura annexa est.* Idem Cõ. Seß. 14. cap. 7. Rom. 13. 2. Cor. 13.

Sicut

Sicut ergo Romanus Pontifex, multos quidem habet Pœnitentiarios, qui à casibus reseruatis in bulla Quę Domini, eius authoritate absoluere possint, inter quos tamen vnus ex collegio illustrissimorum Cardinalium eminet, qui Maior pænitentiarias dicitur, eum in modum conuenit Episcopos in sua diœcesi complures habere Pænitentiarios, qui eorum vice à casibus Episcopalibus absoluant inter quos tamen præeminere conuenit vnum ex collegio suæ ecclesiæ.

Meminerint autem Episcopi, vt in notorijs criminiuus pro temporum & personarum qualitate publicam pœnitentiam in vsum reuocent. *Apostolus monet*, inquiunt Patres Tridentini, *publice peccantes palam esse corripiendos.* *Quando igitur ab aliquo publice & in multorum conspectu crimen commissum fuerit, vnde alios scandalo offensos, commotosq́; fuisse, non sit dubitandum: huic condignam pro modo culpæ pænitentiam, publice iniungi oportet: vt quos exemplo suo ad malos mores prouocauit, suæ emendationis testimonio ad rectam reuocet vitam. Episcopus tamen publicæ hoc pænitentiæ genus in aliud secretũ poterit commutare, quando ita magis iudicabit expedire.*

1. Tim. 5. Sess. 24. cap. 18.

Est & aliud de casibus reseruatis alio in loco ab ijsdem patribus annotatum. *Hanc* aiunt *delectorum reseruationem, consonum est diuinæ auctoritati, non tantum in externa politia, sed etiam coram Deo, vim habere. Verum tamen*

Sess. 14. cap. 7.

pie

pie admodum, ne hac occaſione aliquis pereat, in eadem eccleſia Dei cuſtoditum ſemper fuit, vt nulla ſit reſeruatio in articulo mortis: atque ideo omnes ſacerdotes quoslibet pœnitentes à quibuſuis peccatis, & cenſuris, abſoluere poſſint.

Subdunt Patres. *Extra quem articulum ſacerdotes nihil poſſunt in caſibus reſeruatis.* Monet tamen Ruardus, Decanus & Cancellarius Louanienſis, qui huic decreto Tridenti interfuit, ſtandum eſſe in iure diuino, qnando reſeruatio militaret contra charitatem, vt ſi tanta ſit infirmitas confitentis, quod remiſſus à ſuo Paſtore, deſperabit: nec veriſimile eſt, quod accedet eum, qui facultatem habet abſoluendi: Nam quod pro charitate, & fidelium ſalute, inſtitutum eſt, contra eam militare non poteſt. Eſt enim finis omnium præceptorum charitas, atque ei ſubeſſe, & ſeruire, debent omnes Eccleſiæ conſtitutiones. Quo pertinet quod à Propheta dictum eſt de Saluatore: *Arundinem quaſſatam non confringet & linum fumigans non extinguet.* Quæque Patres ex Apoſtolo citarunt, Omnia, quæ à Deo ſunt, ordinata eſſe: & Epiſcopis poteſtatem datum eſſe in ædificationem, non in deſtructionem. Denique ipſi Patres pie dicũt, ſe nolle aliquem hac ipſa occaſione perire.

In articulum 3. Louaniẽſem.

Eſa. 42.

Rom. 13.

2. Cor. 13.

De Scholaſtico.
Caput X.

SEd ad Scholaſtici munus tranſeamus. De eo Patres Tridentini, vbi agunt de Seminariis inſtituendis,

In fine sess. 23.

stituẽdis, hunc in modũ loquuntur, *De cetero vero officia vel dignitates ista, quæ Scholasteriæ dicũtur, nõ nisi Doctoribus, vel Magistris, aut Licẽtiatis, in sacra pagina, aut in iure canonico, & alijs personis idoneis, & qui per seipsos id munus explere possint, conferantur: & aliter facta prouisio nulla sit & inualida, non obstantibus quibusuis priuilegijs, & consuetudinibus, etiã immemorabilibus.*

In libro de varijs collegijs.

Qui autem à nobis Scholasticus dicitur, aut Scholaster, is à quibusdam Magister scholę, ab alijs quibusdam Caput scholæ, dicitur, vt à Michaële Thomasio est annotatũ. Gregorius nonus Scholasticum Ecclesiæ sancti Audomari, quæ in Flandria est, vocat magistrũ scholariũ Corrupte enim in excusis libris pro Audomari, legitur Audoniani Frequentius autem Scholasticus sparsim in Decretalibus vocatur magister nõ scholæ, sed scholarũ.

De appellatio. C. ex parte.

Consistit autem Scholastici munus in duobus. Primum est, vt ipse in schola suæ ecclesiæ per se, aut saltem per idoneos substitutos, ab eodem eligendos, & ab Ordinario approbandos, doceat, & suum munus exerceat, sub pæna sub tractationis fructuum. Id enim à patribus Tridentinis clare est decretum. Quare vehementer falluntur nonnulli Scholastici, qui putant sui tantum muneris esse superintendere scholæ, cum ipsi ex prima fundatione, cæteros præceptores debeant, veluti capita, duces, & primarij magistri, anteire. *Scholastici officium siue dignitas*, inquit Rodericus, *non modo honoranda, sed summe necessaria in ecclesia fore dinoscitur. Vt enim ait Honorius in Canone, Scholarum magistri velut stellæ in perpetuas æternitates doctrinæ lumen infundunt. Hos merito ec-*

Sess. 24.

In specula vitæ humanæ lib. 2. cap. 17.

clesia honorat, & præbendis atque reditibus, non modo præmiat, sed ditat: vt in vnaquaque cathedrali ecclesia clericos & cæteros scholares pauperes, gratis instituant: Quare illis ea de re tam opulenter prouidet, vt & docentis releuetur necessitas, & via pateat discentibus ad doctrinam.

Alterum officiũ & munus est, vt si in sua schola per se non doceat, frequẽter tamen eam visitet, & de moribus tam docentis, quam discipulorũ, diligentẽ curam habeat. Vt etiam in locis suæ iurisdictioni subiectis nullũ permittat esse aut magistrum, aut magistrã, qui priuatim pueros doceat, nisi eos probe examinatos & catholicã fidẽ profitentes iuxta formã à Pio IIII. pręscriptam, admiserit, & iuxta officij sui exigentiã aliquoties visitet.

Sed hic duo occurrunt scrupuli. Vnus est, cum in huiusmodi scholis pueri non discãt Theologiã, aut Ius canonicũ, sed linguã Latinã, aut minutiora, quid mouit Patres sacrosanctæ Synodi vt tales videãtur exigere Scholasticos, qui sint Doctores, aut Licẽtiati in sacra Theologia, aut in Iure Canonico? Dicam. Multa sunt Canonicorũ collegia in oppidulis & pagis, tenuiter dotata. Propter huiusmodi collegiorum Scholasterias, vbi Licẽtiati, aut Doctores, nõ videntur esse necessarij dixisse videtur Patres Scholasterias cõferendas esse supradictis, & alijs personis idoneis, vt qui per seipsos munus explere possint. Cæterum in cathedralium ecclesiarum, & aliorum celebrium collegiorum scholis, dignitas ipsa satis requirit, vt is sit caput scholæ, qui & authoritate & eruditione excellat, quique nouerit & magistros, & discipulos, in officio continere. Si enim & eruditio, & authoritas, vitæque integri-

integritas, desint difficulter nominis sui dignitatem apud acutioris ingenij, & præclaræ indolis, adolescentes, tum etiam apud eorum magistros, qui sæpe sibi ex peritia literarum plus satis placere solent, tueri poterit. Accedit ad ista quod digniores hæ scholę digniora habeant & prouectiora studia, quam sint in plerisque Parochialibus, & alijs inferioribus, scholis. Quo spectat, quod Patres voluerint adolescentes Seminarij, grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium, disciplinam, discere: sacram Scripturam, libros ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atq; Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad cōfessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum, atque cerimoniarum formas ediscere. An non ex his intelligimus, quantum conueniat Scholasticū, qui ab Ordinario, vt per se si idoneus fuerit, alioquin per idoneos substitutos, etiam per subtractionem fructuum, ad docendum cogi & impelli potest, conueniat in scholis Seminariorū, & alijs celebribus scholis, cum publico eruditionis suæ testimonio, præesse? Cum enim scholæ omnes seminaria esse debeant Reipublicæ Christianæ, quid conuenientius, quàm Scholasticis, in iijs studijs, quibus maxime Res-publica Christi iuuatur, publica authoritate, gradum, titulū, & honorem, eruditionis, obtigisse?

Cap. vlt. sess. 23. cōcil. Trid.

Alter scrupulus oritur ex munere visitandi. Si enim maiores rem necessariam iudicauerint, vt & discipuli & magistri Scholasticum superiorem recognoscant, & ab eo frequenter visitentur, male igitur prospectum esse videtur à multis ciuitatibus, municipijs, & pagis, in quibus scholæ, sint, quæ à

quæ à nullo vnquam Scholaſtico viſitentur. Sine dubio non male tantum, ſed & peſſime, proſpectum foret quibuſcunq; ſcholis, niſi à quibuſdam viſitentur. Multum enim intereſt quomodo & ſtudia, & mores, teneræ iuuentutis, formentur. Et cum hic mundus multos habeat magiſtros mẽdaces, multos diſcipulos quibus aures ad malum pruriant, niſi quã diligentiſſime aduigiletur, multas habebit diabolus aut apertas aut clancularias ſcholas, in quibus tenellis auribus, dum neſciunt, venenum hæreſis inſtilletur. Cuius rei vtinam nõ extarent in multis regnis, & prouincijs, crebra & triſtia exempla. Dormiat Petrus, non dormit Iudas. Semper hæreſis ſeipſam, & per malos libros, & per malos magiſtros, atque magiſtras, diffundere conatur Quod dum aperte facere nõ poteſt, veluti cancer, latenter ſerpit, donec omnem carnem exederit. Hic igitur maxime aduigilare oportet Scholaſticum, ne fidei integritas in vlla vſpiam ſchola ſibi ſubiecta violetur. Quod ſi in re tam neceſſaria ſuo muneri deſit, acriter erit ab Ordinario arguendus. De cæteris vero ſcholis, ſicut & de illis, quas Scholaſtici negligere audent, omnis ſolicitudo erit penes Epiſcopum, vt nulla vſpiam in ſua diœceſi extet, quæ non & frequenter, & diligenter, per eius commiſſionem viſitetur. Habet ille archidiaconos, archipresbyros, ſcholaſticos, Canonicos, & multos alios in clero, per quorum operam omnibus & ſingulis ſcholis ſuperintendere, & poſſit, & debet. Magnaque opus eſt cautela Solent enim hæretici primum non palam, & aperte, ſua venena ſpargere, ſed penetrantes domos, & in occulto, more ſerpentum ſubrepentes. Solent dormientibus catholicis admodum peruigiles in me-

2. Tim. 2.

1. Tim. 3.

dio tritici sua zizania seminare: dormienteq; Petro Iudas solicitus excubias agit, & Dominum suum tradit. Cōtra hoc igitur pessimum malum, non satis erit à ludorum magistris exigere, vt omnia hæreticorum dogmata detestētur. Hoc enim quiuis hæreticus libenter faciat, & catholicos hereticorum nomine designabit. Notum est illud Hieronymi, Perniciosissima hæresis semper simulat pœnitentiam, vt docendi in ecclesijs habeat facultatem. Innumeræ sunt eorum technæ, & fraudes, varijs intellectibus, & torturis, verborum, cōsueuerunt obnubilare veritatem, & mendacia par tui-facere. Quibus omnibus vt resistatur, ante omnia opus est, vt clare fidei professionem faciat, iuxta decretum bullæ Pij, Papæ quarti.

Ad Augustinum, epist. 94.

Et quia Caluinistæ alijque hæretici mentiri & peierare non reformidant, nulli ad docendum admittendi sunt, quantumuis promptissimi sint ad fidem catholicæ Romanæ religionis profitendam, nisi aut cogniti sint, aut à viris grauibus bonum habeant testimonium. Postquam etiam admissi fuerint, & ipsi, & discipuli eorumque libri, mores & studia, frequenter erunt visitanda. Facile enim incauta, & nouitatis auida, & in malū flexilis, ac prona, iuuentus, corrumpitur: tantoq; periculosior est vel mimima iuuētutis infectio, quod ea quæ primum capit, etiāsi pessima sint, fere retinere soleat, vsq; ad senectam extremā, & mortem Hæc igitur prima sit cura, ne teneri adolescētes in Babylonem hæreticam imprudentes abducātur.

Neque de hæresi tantum curam habere oportet, sed etiam vt nullam aliam in moribus corruptelam imbibant. Facile enim velut nouæ testæ odorem aliquem, quem diu reseruent, recipiunt. Ideoque maiores nostri, vt schola non solum esset

ſchola literarum,ſed & ſchola virtutum,vnum ex probatiſſimis ſenioribus,qui pueros & adoleſcentes in bonis morib⁹,& ſanctą vita,ſpiritualiter erudiret,aliũ vero,qui eos literas doceret, vt videre licet in Canonicæ regulę libro, ſolicite deputabãt.

Neq; tunc temporis Scholaſteria erat beneficiũ, ſed officium. *Frater*, legitur in eadem regula, *cui hæc cura committitur, ſi eorum curam paruipenderit, & aliud quam oportet docuerit, aut eis in aliquo læſionis maculã ingeſſerit ſeueriſſime correptus, ab officio amoueatur: & fratri alij id cõmittatur, qui eos & innocentis vitæ exẽplis informet, & ad opus bonũ peragendũ excitet.* Hactenus Synodus. Etſi autẽ noſtro tẽpore ſit beneficiũ, & in pleriſq; eccleſijs dignitas memores tamẽ ſint, beneficiũ dari proter officium: Meminerint quã ſedulo Epiſcopi Gallię ſub Ludouico & Lothario Auguſtis admonuerint rectores eccleſiarum, vt in eccleſijs ſibi commiſſis ſtrenuos milites Chriſti; quibus Deus placari poſſet, præpararent & educarent; attendentes illud Danielis Prophetę. Qui docti fuerint, fulgebunt ſicut ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt alios, ſicut ſtellæ in perpetuas æternitates. Meminerint eoſdem epiſcopos voluiſſe omnes Scholaſticos adeſſe in proximo Concilio prouinciali vt ſuum ſtudium maiori cum ſolertia exequerentur.

Cap. 135. in Aquiſgranenſi Concilio.

Syn Aquiſgra. c. 135

In Concil. Pariſienſi lib. 1, cap. 30.

Dani. 2.

Sanctus VVolfgãgus ante epiſcopatũ, adoleſcẽtes quos erudiẽdos ſuſceperat, nõ ſolũ liberalibus diſciplinis, ſed etiã bonis moribus inſtruebat, & tenuis fortunæ diſcipulos corporeis fouebat alimẽtis. Epiſcopus vero crebro adoleſcentũ tabulas vel ceras inſpiciebat, & pleroſq; ex illis ad diſcendum incitabat beneficijs: deſides vero obiurgabat.

In vita in. ad 31 Octobris, cap. 6 & 20.

Iuniores quoq; Canonicos voluit scholę studijs interesse. Sed hæc hoc in loco de scholasticis & schola sufficiat postmodum enim de scholis alia quædam suo loco disseremus.

infra, cap. 41. hoc libro & ca. 42.

De Cantore.

Caput XI.

SIcut autem vnus est magister & caput scholæ antiquissima Ecclesiastica disciplina, qui ex ea functione titulo & dignitate Scholastici honoratur: sic etiam ex veteri & laudabili Ecclesiarum cõsuetudine, vnus cantandi peritus deputari solet, qui chorum & cantum dirigeret. Is autem nunc per antonomasiam Cantor dicitur, non quin omnium clericorum officium sit canere & psallere: sed quod iste præ reliquis curam gerat vt in cantu Ecclesiastico nihil sit incõcinnum, & ineptum. Frequenter etiam in Corpore Iuris Canonici Præcentor dicitur. Videntur tamẽ in quibusdam ecclesijs distingui. Nam in compromisso Canonicorum Lugdunensium cũ ciuitate, quod factum est anno 1269, post Decanum & Archidiaconum nominantur primi, Guillermus de Poypia præcentor, Chatardus cantor. Huius autem Cantoris officium erat alios docere ritum ecclesiasticę cantionis. Fuit inter hos celebris Eboraci Iacobus Diaconus, vir Ecclesiasticus, & sanctus, qui magnas antiquo hosti prædas, docendo, & baptizando, eripuit. Qui quoniam cantandi in ecclesia erat peritissimus, crescente numero fidelium etiam magister ecclesiasticæ cantionis iuxta morem Romanorum, seu Cantuariorum, multis extitit. Cum autem Theodorus archiepiscopus à

Beda lib. 2. hist. ca. vlt.

Britan-

Britanniæ rege receptus est in promptu erant magistri, qui docerēt sonos cantandi in ecclesia, quos catenus tantum in Cantia mouerant ab eo autem tempore per omnes Anglorum ecclesias discere cœperunt,

Cur autem isti tantopere laborauerint habere cantum Romanæ ecclesiæ, facile intelligitur ex ijs quæ Ioannes Diaconus scripsit initio libri secūdi vitæ Gregorij magni. Laudat is in primis Gregorium, qui in domo Domini, more sapientissimi Salomonis propter musicæ cōpunctionem dulcedinis antiphonarium centonē cantorū studiosissimus compilauit, scholamque cantorum (quæ hactenus, ait, eisdem institutionibus in sancta Romana ecclesia modulatur,) constituit. Deinde addit, Germanos, seu Gallos, hanc modulationem crebro didicisse, & redicisse, quod corpora vocum suarum tonitruis altisonè perstrepentia, susceptæ modulationis dulcedinem proprie non resultent, quia bibuli gutturis feritas dum inflexionibus & repercussionibus mitem nititur edere cātilenam, naturali quodam fragore, quasi plaustra per gradus confusè sonantia, rigidas voces iactat, sicque audientium animos, quos mulcere debuerat, exasperando magis ac obstrependo continebat. *Cap. 6.* *Cap. 7.*

Hinc est quod huius Gregorij tempore, cum Augustino Britannias adeunte, per Occidentem Romanæ quoque institutionis cantores dispersi fuerint. Quibus defunctis, occidentales ecclesiæ ita susceptum modulationis organū vitiarunt, vt Ioānes quidam Romanus cantor cum Theodoro vt præsente à Vitalano in Britānias sit destinatus. Qui circumquaque positarum ecclesiarum filios ad pristinam cantilenæ dulcedinem reuocās, tam *Cap. 8.*

per se, quam per suos discipulos, multis annis Romanæ doctrinæ regulam conseruauit.

Cap. 9. Sed & Carolus patritius, Rex Francorum, dissonantia Romani & Gallicani cātus Romæ offensus, interrogasse fertur: Quis inter riuum & fontē lympidiorem aquam conseruare soleret? respondentibus, fontem: prudenter adiecit: Ergo & nos qui de riuo corruptam lympham vsque hactenus bibimus, ad perennis fontis necesse est flucta principalia recurramus. Moxque duos suorum industrios clericos Adriano tunc dereliquit Quibus tādem satis elegāter instructis, Metensem metropolim ad suauitatem modulationis pristinæ reuocauit: per quam illam totam Galliam suam correxit.

Onuphrius adiunctus Platinæ. Hactenus ex Gregorij magni pōtificis vita de Cātorū schola. Onuphri⁹ aūt in interpretatione vocū aliquot ecclesiasticarum, explicat nomē præfecti huius scholæ, *Schola* inquit *Cantorū cōmunibus sumptibus viuebat, habebatq; magnæ in Vrbe existimationis & dignitatis præfectum, qui Primicerius, alias Prior scholæ cantorū, vocabatur: cuius opera optimi iuuenes selecti, in cantu, lectione sacrorum librorū, & optimis moribus, instituebātur: Hinc origro primiceriorum per alias orbis ecclesias cathedrales manauit, de quorū officio & dignitate vigesima quinta distinctione mentio est. Hāc scholam eam esse opinor, cuius initium scribit Bibliothecarius in vita Hilari Papæ, sic, Hic cōstituit in Vrbe ministrales (id est, clericos, qui circumirent constitutas Stationes, id est, ministrando sacris, & psallendo. Quamquam Ioannes Diaconus libro se-*

cundo

cunda de vita S. Gregorij Papæ ipsam hanc scholā S. Gregoriū constituisse scribit, quod potius de eius quadam reformatione, seu restitutione intelligendum esse opinor, quam de prima institutione.

Iuxta autem mores nostrorū temporum, Cantor propter dignitatem sui officij, digniorem aliquem locū obtinet: etsi quicquid fere laboriosum est, id nunc non per eum fiat: sed per aliquem inferiorem cātorem, qui a quibusdam Succentor, aut magister Cantus dicitur

Quamquam autē Cantor magna portione sui oneris hoc tempore liberatus sit, meminerit tamē vt semper honorem domus Dei quo ad cātum, & reliqua Ecclesiastica officia conseruet: meminerit se in clero Dei digniorem locum habere, nō vt inde superbiat, aut otietur, sed vt plura officia ecclesiæ, cui inscriptus est, præstet.

De Pastore,

Caput XII.

IN multis Collegiatis ecclesijs post omnes Canonicos, Pastor demum suum locum habet. Verum si ex meo voto ageretur, in capitularibus ecclesijs, quę simul sunt parochiales, supra Canonicos simplices, siue nulla dignitate præfulgentes, Pastori locus tribueretur. Cum enim lōge digniores sint Parochi, quam Canonici: cumque expediat, vt populus Pastores animarum suarū omni honore prosequatur: multū conuenit vt in hac parte Canonici populo præluceant, suisq; exēplis declarēt, sese Pastores quia Pastores sunt, plurimū reuereri, & honorare. In multis ecclesijs Pręposit⁹, Archidiaconus, Archipresbyter, Pænitentiarius, Cantor, Scholasticus, digniori loco honorātur, etsi multum à dignitate veteris officij declinauerint.

Quid vero Pastor? cum duplici honore dignus sit, in nullo Canonicorum Capitulo decentiorem supra Canonicos obtinet locum. Et tamen portat ille, si quisquam alius, pondus diei, & æstus. Neque vlla est comparatio, vel æquiparatio, inter vitam Pastoris & Canonici: quãuis nonnulli tam carnaliter desipiant, vt putent honoratiorem esse Canonici, quam Parochi, titulum. Canonicus in diuino officio Deo seruit. Idem facit Parochus. Consiliarius est, & cooperarius Episcopalis solicitudinis. In ijsdem præstandis non minus, immo sæpe magis, officiosi sunt Pastores. Quod si, præter ista, consideremus, quanta onera, & pericula, subeãt Pastores, dum erga subditos suos tam malos, quam bonos; tam infirmos ex quacunque ægritudine, quam sanos, Pastoralis & paterni animi affectus exerunt, quod ad Canonicam vitam non pertinet, facile intelligemus quantum Pastoralis cura Canonicæ professioni sit anteponenda quodque regimẽ animarum, quod est ars artiũ, vt Gregorius magnus in libro Curæ Pastoralis loquitur, magnũ sit diuini amoris symbolum, dicente Christo Domino ad Petrum, *Simõ Ioãnes diligis me plusbis? Pasce agnos meos Simõ Ioãnis diligis me? Pasce agnos meos. Simõ Ioãnis, amas me. Pasce oues meas,* Quasi dicat, vt Augustinus notauit. Petre quid mihi dabis, quia amas me? Hoc mihi dabis, hoc mihi præstabis, si amas me, vt pascas oues meas. Ex hoc itaque loco colligitur eos præ reliquis Christum diligere qui eius oues præ reliquis pascunt, & non lingua, sed exhibitione operis, se eum diligere declarant. Semper igitur Canonici honorẽt Pastores & sese eis multum coram Deo inferiores esse humiliter agnoscant, etsi praua quædam huius seculi iudicia

Initio Pastoralis

Ioan. vlt.

De verbis Domini, serm. 49.

iudicia aliud occlament. Nec tantū eos honorent, sed vt in Canonicis lux bonorum operū coram plebeijs hominibus luceat, eosque ædificet, erga Pastores tales sese exhibeant, vt etiam populares sentiant à reliquo clero, & sacerdotio, Pastores, propter dignitatem curæ pastoralis, multum honorari.

Hoc autem non fiet nisi præter externa ista reuerentiæ & honoris signa, honesta & abundās cōpetētia, (quod Apostolus significat per duplicem honorem, quo eos dignos esse pronunciat,) eis tribuatur. Quam enim indignum est quod Capitula quædam sordide comedant decimas multarum parochiarum, & quod Pastores ab eis ægre tenuē competentiam, extorquere possint? Quantum res ea in plebe est scandalosa? Omnia itaque Capitula, quibus Parochiarum fructus sunt incorporati, primum solicita sint, vt abunde, & antè omnia, Pastoribus sit prouisum. Quod qua ratione faciendum sit, non est necesse hic inculcare, cū multa desuper in synodalibus constitutionibus emanarint decreta. Variaque exempla antecessorum successores doceant, qua ratione honeste Pastoribus ante omnia sit prouidendum. *1. Tim. 5.*

De Thesaurario.

Caput XIII.

EST quoque in plerisque Capitularibus ecclesijs Thesaurarius, à thesauris ecclesiæ, qui eius custodie committuntur, nomen habens. Qui in nonnullis etiam primæ dignitatis ecclesijs custos dicitur. Sed hic titulus apud multos veluit

cum olim magnificus fuerit, vt Apostolicus vir VVillibrordus archiepiscopus à Carolo Martello & Pipino rege dictus sit ratione Archiepiscopatus sui custos ecclesiæ Traiectensis.

In libris donationū apud Hedam.

Est autem thesauraria apud quosdam officiū; à quo, si inidoneus iudicetur, repellitur. Sed apud plures est aut beneficium, aut dignitas, vel præeminentia. Prius simplicitati vetustatis magis cōpetit; tūc enim omnia officia in Clero erant obediētiæ, vt alicubi Clerus Coloniensis loquitur. Posterius vero ex diuitijs enatum est, quæ in cathedralibus, alijsque capitularibus, ecclesijs, varia officia non modo in beneficia, sed etiā in dignitates euexerūt. Quo fit vt aliquando is fiat Thesaurarius, qui se ipsum custodire, ac gerere, nesciat, quiq; ineptus sit ad cuiuscunque paruæ domus custodiam.

Cæterum etsi thesaurarij nomen perdulce sit, difficile tamen est officium, si certe geratur. Quod Rodericus, Zamocensis episcopus, in Speculo vitæ humanæ, hunc in modum describit. *Thesaurarius, siue custos, præcipua quadā prærogatiua, ac honoris praeminentia, in sacrosancta ecclesia fulget. Illorum enim dignitati & officio, basilicarum primo incumbit custodia, & tuitio: ostiariorum institutio: luminarium incensio & præparatio: cura deniq; baptisterij. Vasorum quoq; sanctorum, ac sacerdotalium vestium: nec non sacrarum reliquiarū, & tandem totius ecclesiæ thesauri, ad eum principalus pertinet custodia. Sed & inter ecclesiæ ministros, pro modo obsequij, & personarum differentijs, reditus & oblationes diuidit.*

Lib. 2. cap. 16.

Merito

Merito igitur sancta Synodus id ipsum dignitatis officium, vt vnam ecclesiæ columnã, summo studio eligendũ, honorique habendũ decreuit, vt nullus in ea nisi sanctior, & melior, ordinetur. Hactenus Rodericus, de Thesaurario, vel custode, siue sacrista, loquens. Hæc enim tria nomina commiscet. In primo autem Decretalium libro quem Gregorij noni iussu Raymundus de Pennaforti, ordinis Prædicatorum magister, collegit, distincti sunt tituli De officio sacristę, De officio custodis. Verum si cõsideremus, quid in eis titulis tractetur, facile animaduertetur ea aut nihil aut parũ differre. Addo aut parum: quia animaduerto alicubi Canonicos custodem à sacrista distinguere. Quo pertinet quod in compromisso quodam Capituli Lugdunensis cum ciuitate, quod factum est anno 1269, ex parte Capituli primi nominentur, Milo de Vallibus decanus, Petrus de Angusta, archidiaconus, Guillermus de Poypia præcentor, Chatardus cantor, Hugo de Turnone sacrista, Guillermus custos, Theauldus Guido durgellus. Sed titulos quos dixi cõsiderem⁹. Prioris tituli vnicũ hoc est Capitulũ, *Vt sciat se sacristã subiectum archidiacono, & ad eius curam pertinere custodiam sacrorum vasorũ, vestimentorum ecclesiasticorum seu totius thesauri ecclesiastici: nec nõ quæ ad luminaria pertinent, siue in cera, siue oleo.*

Tit. 26. & 27.

In Paradini hist. Lugdu. li. 2. c. 47.

Sequenti vero titulo hunc in modũ legitur: *Custos ecclesiæ, cui ea quæ ecclesiæ cõpetũt, custodiẽda cõmittuntur, oportet vt sui archidiaconi iussioni in cũctis obediat. In Canonicis Horis signa tintinnabulorum*

lorum pulſanda, ipſo Archidiacono iubente, ab eo pulſentur, pallia, vel linteamina altaris, ſeu cuncta vtenſilia eccleſiæ, indeſinenter cuſtodiat lampades & laternas in accendendo, ſeu extinguendo, peruigil exiſtat, ne aut ſupra modum lucendo, oleũ depereat, aut minus lucendo, obſcurior ſit eccleſia, ſed omnia cum diſcretione agantur: quæ noſcitur omnium virtutum eſſe mater. Et iterum. *Cuſtos ſolicitus debet eſſe de omni ornamento eccleſiæ, & luminarijs, ſiue incenſo: necnon panem & vinum omni tempore præparatum ad Miſſam habere debet: & per ſingulas* Horas *Canonicas ſignum ex conſenſu Archidiaconi ſonare: & omnes oblationes, ſeu eleemoſynas, ſeu decimas, (cũ eiuſdem tamen cõſenſu) abſente Epiſcopo inter fratres diuidat.*

Denique, vt intelligas vnde Rodericus Theſaurarium, vnam eccleſię columnam vocet, in eodem titulo concluditur: *In his tribus eccleſiæ columnis, archidiacono, archipresbytero, cuſtode, vt ſancta ſanxit ſynodus, conſiſtere debet alma mater eccleſia, vt ad hoc opus tales ordinentur, quales meliores & ſanctiores eſſe viderint, vt ſimul iũcti vno animo prouide peragant, & perfecte: & non ſit inuidia, neq; zelus, inter illos.*

Multo compendioſius Iſidorus ad Ludifredũ, epiſcopum Cordubenſem. *Ad theſaurariũ pertinet oſtiarij baſilicarum ordinatio, incenſi præparatio, cura chriſmatis conficiendi, cura baptiſterij ordi-*

rij ordinādi, præparatio luminariorum in sacrario, & sacrificijs. Quę verba Gratianus in suum Decretum transtulit. *Dist. 25.*

Et quidem ex his facile intelligitur quod iam olim fuerit Custodis, siue Thesaurarij, munus. Cæterum vnum est quod me præsentium temporum calamitas deplorare cogit, multos esse nedū Thesaurarios, sed & corpora siue Collegia Canonicorum, qui nescant quid sit custodire thesauros ecclesiæ. Putant enim tunc demum eos custodiri, si ad ornatum templi Dei custodiantur. Si quis vero vel propter publicam famem, vel propter redemptionem captiuorum, eos alienare velit, quam multi clamabunt non custodiri, sed distrahi, & dissipari, vasa Dei? Quasi vero quod in viua Dei templa ex necessitate impēditur, hoc malitiose materiali Dei templo detrahatur. Sic carnales homines sapiunt, sed longe aliud est Sanctorū Dei iudicium.

In primis Laurentius pretiosus Christi martyr, cum Decius ab eo thesauros ecclesiæ expeteret, eosq; non paruos esse, (quod Prudentius pulchrè describit,) arbitraretur, tridui spatio postulato, opes ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat, ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atq; vestitu inamissibiles condiderat facultates: quæ tanto integrius, ait Leo, erant saluæ, quanto sanctius probabantur expensæ. *Per stephano hymno 1.* *Leo serm. de S. Laurentio.*

Quid vero Ambrosius fecerit, nosque iam olim docuerit, ex eius verbis audire licet. *Hoc maximum,* *Lib. 2 offi. c. 28.*

maximum, ait, *incentiuum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorũ quãtum possumus iuuemus, & plus interdum quã possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quam prætendere inclementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt captiuos redimeremus: quod Aerianis displicere poterat, nec tam factum displicere, quam vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tã durus, immitis, ferreus, cui displiceat quod homo redimitur à morte, fæmina ab impuritatibus barbarorum, quæ grauiores morte sunt: adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes, ab idolorum contagijs, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt confiteremur, multoque fuisse commodius astrueremus, vt animas Domino quã aurum, seruaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, & ecclesias sine auro congregauit. Aurũ ecclesia habet, nõ vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantũ auri atq; argẽti de templo Domini Assyrij sustulerint? Nõne melius cõflat sacerdos propter alimoniam pauperũ, si alia subsidia desint, quam sacrilegus cõtaminata asportet hostis? Nõne dicturus est Dominus, Cur passus es tot inopes fame emori? Et certe habebas aurũ, vt ministrasses alimoniã. Cur tot captiui deducti in cõmerciũ sunt, nec redẽpti? Cur tot ab hoste occisi*

sunt? Melius fuerat vt vasa viuentiũ seruares, quã metallorũ. His nõ posset respõsum referri. Quid enim diceres? Timui ne in tẽplo Dei ornatꝰ deesset? Respõderet. Aurũ sacramẽta non quærũt: neq; auro placẽt, quæ auro nõ emũtur. Ornatus sacramẽtorũ, redẽptio captiuorũ est. Et vere sunt illa vasa præciosa, quæ redimũt animas à morte. Ille verus thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tũc vas Dominici sanguinis agnosco, cũ in vtroq; videro redemptionẽ, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis à peccato redimit. Quã pulchrũ, vt cũ agmina captiuorũ ab ecclesia redimũtur, dicatur, Hos Christus redemit. Ecce aurũ quod probari potest: ecce aurum vtile: ecce aurũ Christi, quod à morte liberat: ecce aurũ quo redimitur pudicitia, seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quã aurũ reseruare. Hic numerus captiuorũ, hic ordo, præstãtior est, quã species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurũ redemptoris, vt redimeret periclitãtes. Agnosco infusũ auro sanguinem Christi, non solum irrutilasse, verum etiã diuinæ operationis impreßisse virtutem, redẽptionis munere. Tale aurũ sanctus martyr Laurẽtius Domino reseruauit, à quo cũ quærerentur thesauri ecclesiæ, promisit demonstraturũ se. Sequenti die pauperes duxit; Interrogatus vbi essent thesauri, quos promiserat, ostendit pauperes, dicens. Hi sunt thesauri ecclesiæ: & vere thesauri, in quibus Christus est, in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait, Habemus thesaurũ in vasis fictilibus 2. Cor. 4.

Quos meliores thesauros habet Christus, quā eos in quibus amat videri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & vicit, quod eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioacim, qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ: & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem perduci. Laurentius, qui aurum ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quam persecutori reseruare, pro singulari interpretationis viuacitate, sacram martyrij accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Opus est, vt quis fide syncera, & perspicaci prouidentia, munus hoc impleat. Sane si in sua aliquis deriuat emolumenta, crimen est. Sin vero pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper viuit? Nemo potest queri, quia captiui redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquijs spatia laxata sunt. Nemo potest dolore, quia in sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa ecclesiæ, etiā initiata, confringere, conflare vendere, licet. Opus est vt de ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis ministeriū transferatur. Ideo intra ecclesiam primum quæsita sunt vasa, quæ initiata non essent, deinde comminuta, postremo cō-

2 Para.36
4: Re.24
25.

flata

flata, perminutas erogationes dispẽsata egẽtibus, captiuorum quoque precijs profecerũt. Quod si desunt noua, & quæ nequaquam initiata videantur, in huiusmodi vsus, quos supra diximus, arbitror omnia piè posse conuerti. Hactenus vtrumque prolixe Ambrosius, quibusdã tamen, vt prolixitatem maiorem vitaremus, decisis.

Hunc autem diui Ambrosij, spiritũ imitatum esse sanctum Augustinum, Hipponensem episcopũ, grauissimus testis est eius discipulus, Possidius, Calamensis episcopus. *Interea,* inquit, *dum Ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos, & quam plurimos indigentes, frãgi quædam, & conflari, iubebat, & indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri peruiderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit, & scripsit: sed & inde de neglecto à fidelibus gazophylacio, & secretario, vnde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens, admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in Ecclesia tractauisse, nobis aliquãdo retulerat.*

Vita Augustini c. 42.

Vide Aug. epist. 13.

Eundem in modum Gregorius magnus in epistola ad Fortunatum, episcopum Fanensem: *Sicut reprehẽsibile & vltione dignũ est,* ait *quemquam*

Lib. 6 epist. 13.

quam sacrata vasa, præterquam in his quæ lex & sacri Canones præcipiunt, venundare: ita nulla est obiurgatione, vel vindicta, plectendum, si pietatis causa pro captiuorũ fuerint redemptione distracta.

Eodem libro ep. 35. Idem quoque Pontifex solicitatus à Faustino, milite Meriensis ecclesiæ, pro subsidio, quindecim librarũ, vt filias suas de iugo captiuitatis exueret, grauiter pro eo scripsit ad episcopũ Messanensem, *Illud fraternitas vestra debet esse solicita, vt si quidem de prædicta ecclesia vsuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat: alioquin de sacratis vos vasis hac in re ea quã prædiximus quãtitatem præbere necesse est. Nã sicut omnino graue est frustra ecclesiastica ministeria venũdare, sic iterum culpa est imminenti huiusmodi necessitate, res maximè desolatæ Ecclesiæ captiuis suis præponere, & in eorum redemptione cessare.*

Lib. 7, epi. 14, indict. 8. Denique idem sanctissimus Pontifex, cum Demetrius & Valerianus, clerici Firmani, metuerent ne reddere cogerẽtur vndecim libras argenti, quas aliquando Fabius pontifex pro eorum & parentũ redemptione ex rebus ecclesiæ hostibus impenderat, clare eis rescripsit, *Ratio æquitatis exposcit, vt quod studio pietatis impensum est, ad redemptorum onus vel afflictionem non debeat pertinere.*

Quod si quis præter hæc aliquot alia exempla commemorari velit, vt clarius intelligatur per diuersa tempora, & loca, eandẽ fuisse omniũ bonorum hominum sententiã, non grauabor quædam anno-

annotare. Sanctus Exuperius Tolosæ episcopus, ait Hieronymus, viduæ Sareptensis imitator, esuriens pascit alios, & ore pallente ieiunijs, fame torquetur aliena; omnemque substantiam Christi visceribus erogauit. Nihil illo diuitius qui Corpus Domini canistro vimineo: sanguinem portat in vitro. Qui auaritiam eiecit è templo. Huic accedit quod Hiremarus episcopus meminerit ad sua vsq; tempora in Rhenensi ecclesia perdurasse argenteum calicem sancti Remigij, donec fusus in redemptionem Christianorum datus est, vt à Nordt-mannis, ministris diaboli, redimerentur. *Epist. 3. ad Rusticum, 3 Reg. 17.*

Floruit eodem tempore, inter grauissimas dictorum Aquilonarium persecutiones Rembertus, natione Flander, vir plane Apostolicus, Bremensis, seu Hamburgensis, ecclesiæ, archiepiscopus, qui cum inter tam barbaros homines, aut viuere, aut potius latere, cogeretur, multiplicem habuit redimendi captiuos necessitatem. Quid autem fecit? Dicam, non meis, sed contẽporanei scriptoris grauissimi, verbis. *Ad redemptionem captiuorum pæne cunctis quæ habebat, expensis, cum multorum adhuc apud infideles detentorũ calamitatem cernere cogeretur, etiam sacri altaris vasa, ob illos redimendos, impendere non dubitauit. Qua in re dum quibusdam minus sublimiter intelligentibus, non recte fecisse videretur, quasi in alios vsus conuerteret, quæ sacris essent deputata ministerijs, & à quodam interrogatus esset cur id faceret, iusta ratione sciscitanti satisfaciens: Non ignoro, inquit, res ecclesiastici officij digne tractãdas, & sub magna ob-* *Tomo 1. Surij ad 4 Februarij.*

gna obligatione ad hoc opus esse depositas: verum tamen plus est apud Deum per eas subueniri captiuis Christianis, in angustia constitutis, quam esse queat depositum eas custodiendi: cumque incumbit necessitas è duobus bonis alterum eligendi, altero carendi, præferendum est illud, quod est præstantius, & id quod inferius est, relinquendum. Vnde etiam ego, ait, cum nullũ aliud suppetit consilium, non sum arguendus impietatis, si Christianum, qui filius Dei est, thesauris ecclesiæ redimo: quandoquidem semper inuenire possumus quod ad vsum sacri ministerij sufficiat: irrecuperabilis vero damni est, si Christianus in captiuitatis afflictione deficiat.

Nec ãlius fuit spiritus Cæsarij, Arelatensis episcopi, quod ex historia vitæ, quæ ad Cæsariam sororem eius conscripta est, manifeste elucet. *Ad diem 27 Aug.* *Arelanten*, ait hic scriptor, *Gotthis cum innumera captiuorum turba reuertentibus, replẽtur sacræ basilicæ, & cum multa inopia laborarent, quæ ad victum vestitumque pertinerent, affatim eis præbuit vir beatus, donec omnes ab ipso essent redempti eo argento, quod venerabilis Eonius, antecessor eius, ecclesiæ mensæ reliquerat. Hoc autem sanctũ opus ita persecutus est, vt etiam ab illis quæ ad diuini ministerij dispensationem pertinent, non abstineret, thuribulis, calicibus, patenis, pro eorum redemptione datis, excußisq; à cancellorum columnis*

nis ornamentis argenteis. Dicebat enim, Ne homo rationalis, Christi sanguine redemptus, amissa libertate, & dura pressus seruitute, Arrianus efficiatur, aut Iudaeus, aut ex ingenuo seruus. Ornauit igitur & defendit, non deformauit ecclesiam. Patere voluit filijs viscera matris, non praecludi, hoc saepissime dicens: Velim respondeant mihi plerique domini sacerdotes, & reliqui è clero, qui, nescio quo superfluitatis amore, nolunt dare insensibile argentum & aurum, ex Christi donarijs, velim, inquam, dicant mihi, si quo casu ipsi in eam calamitatem inciderent, vellent-ne huiusmodi insensibilibus donarijs in libertatem vindicari, aut potius sacrilegij loco haberent, si quis ex diuinis munusculis subueniret? Equidem non puto id ingratum esse Deo, de suo ministerio redemptionem parari, qui se ipsum pro hominibus redimendis dedit. Sic ille. Nos vero videmus quosdam laudare in sancto viro quod ita fecerit, nec tamen vllo pacto velle imitari.

Deo-gratias vero Carthaginiensis episcopus, quantum ego Victorem, Vticensem episcopum, intelligere possum, cum multi occupata Roma captiuati abducerentur in Africam, omnia vasa ministerij aurea & argentea distraxit, non vt liberarentur, sed vt captiuitas eorum mitigaretur, ne videlicet barbarorum serui efficerentur, ne VVandalis & Mauris ingentem populi quantitatem diuiden-

uidentibus, mariti ab vxoribus, liberi à parẽtibus, separarẽtur, ne insuetudine nauigij, & crudelitate, afflicti, consumerentur. Sed Victoris verba audiamus. *Deo-gratias episcopo constituto factum est peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobilißimam atq; famosam decimo quinto regni sui anno Geisericus caperet, Romam. Et simul exinde regum multorum diuitias, cũ populis, captiuauit. Quæ dum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus VVandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, vt moris est barbaris, mariti ab vxoribus, liberi à parentibus, separabantur. Statim sategit vir Deo plenus, & carus, vniuersa vasa ministerij, aurea, vel argentea, distrahere, & libertatẽ de seruitute barbarica liberare, & vt coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderent. Et quia nulla loca sufficiebãt ad capessendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas, & amplas, Fausti, & Nouarũ, eorum lectulis, atq; straminibus, deputauit, decernens per singulos dies quãtum quis pro merito acciperet. Et quia plerosq; insuetudo nauigij, & crudelitas captiuitatis, afflixerat; nõ paruus inter eos numerus fuerat ægrotorum, quos ille beatus antistes, vt pia nutrix, per momenta singula, cum medicis circuibat, sequentibus cibis, vt inspecta vena quid cui opus esset, illo præsente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiæ feriabatur, sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque haberet. Ita se tradiderat omnino la-*

Lib. 1. de persecut. VVandal.

bori, vt nec defeßis membris, nec cariosæ iã senectuti parceret. Quo liuore Ariani succensi, dolis eum quã plurimis voluere sæpius enecare. Quod credo præuidens Dominus, cito passerẽ suũ de manibus accipitrum voluit liberare. Cuius exitium ita Vrbici captiui planxerunt, vt tunc se putarent magis tradi manibus barbarorũ quãdo ille perrexit ad cælũ. *Vrbicos vocat Romanos.*

Passus est etiam sanctus Cyrillus Hierosolymorum episcopus, cuius Catecheses habemus, ab Acacio Ariano episcopo calumniam ex eo quod thesaurum ecclesiæ, & sacra aulæa vendidit, cum pecuniæ non sufficerent ad subleuandam famem, quæ tum agrum Hierosolymitanum occupauerat, vt testis est Zozomenus libro quarto historiæ ecclesiasticæ.

Ab hoc vero Ariano Acacio quantum discrepat Acacius episcopus Amidenus? Cũ enim Romani milites circiter septem millia Persarum militum in depopulanda Azazena prouincia captiuos abduxissent, eosque propemodum fame enecarent, Acacius conuocatis clericis monet aurea argenteaque monumenta ex propensa fideliũ benignitate ecclesiæ collata, conflanda & vendenda esse. Quod factum est. Et pretia partim militibus Romanus pro captiuis redimendis dedit: partim ad eorum famem subleuandam impendit. Postremo, viatico illis suppeditato, ad suum ipsorum Regem, cum maxima eius admiratione remisit. Quod illius temporis historiographus Socrates Scholasticus Cõstantinopolitanus, libro septimo historiæ ecclesiasticæ describit. Exemplum sanè in Episcopo memorabile, non tantum in hostes Romani Imperij, sed etiam in Christiani nominis persecutores, impensum. *Cap. 21*

Denique, vt exemplorum finem faciam, Ezechias pijssimus rex, cū regi Sennacherib numeraturus esset trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri, vt è regno Iuda secederet, omne argentum domus Domini accepit, & valuas templi confregit, & laminas auri, quas affixerat. Quod multi imprudenter eum fecisse arbitrarentur, sed nos contra tales munimur sacræ Scripturæ testimonio, quo declaratur in regibus Iuda similem non habuisse, & in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se egisse.

4. Reg. 18.

Sufficere arbitror hęc sanctissimorum virorum exempla, ex diuersorum temporum & locorum consensione petita, ad docendum vasa sacra in necessitatibus, iure sacro expressis, profananda & cōsumenda esse. Quamquam vt necessitate legitima, sic & magna prudentia, hic opus sit. Quantæ fuerunt in Belgio nostro, exhulceratissime perturbato, necessitates, quando non solum ex vrbibus, sed etiam ex populosis prouincijs, cum monastico ordine sacerdosium, fugatum fuit. Quænam ecclesia est quę in necessitates Pastorum pro Christo exulantium, aut vsuale suum argentū, vt Gregorij supra citatis verbis vtar, aut thesauros, & sacra vasa, impendit? Quænam ecclesia suos sacerdotes aut carceribus, aut morti à barbaris hominibus destinatos, thesauris ecclesiæ liberauit? Si quæ sint, perrarę sunt. Passim enim tam clero, quā plebeijs, inest carnalis illa sapientia, quod ornamenta ecclesiæ ad ornatum & ostentationem sint conseruanda, & propter nullas, quantumcunque euidentes, necessitates alienanda.

Immo plus dico, quidā è clero lōge diligentius conseruant aurum & argentum ecclesiæ quam sacras,

cras reliquias, quam mysteria nostræ religionis. At longe fuit alius maiorum nostrorum spiritus. Neque penes vnum thesaurariũ, sed penes omne sacerdotiũ, immo etiam penes plebem, idem erat feruor, vt nulla Sacramento Corporis Christi, sacris reliquijs, ecclesijs, altaribus, aut vllæ sacræ rei, inferretur iniuria.

Olim Tremonienses ab Annone archiepiscopo sancti alicuius corpus postularũt, quo terra eorum reuerentior, & ab hostibus securior, esset. Vnde sancti Reinoldi corpus eis contulit. *Reinold. in vita, 2. parte legenda.*

Et vt ad Brabantiam nostram veniam, cum Nord-manni per Sceindam Turninum deuenerent, vbi monasterium erat sancti Fredegandi cõfessoris, Deus propter iniquitatem inhabitãtium, vt in translatione sancti Gummari legitur, locum exosus, reliquias ipsius iussit alte transportari, vt nullum esset obstaculum contra desolationem. Quibus sublatis, velut muro & turribus ciuitatis destructis, irruit gẽs inimica, & incendio perdidit omnia ędificia, ipsumque monasterium cõsumpsit: homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit. *Ibidem, & tomo 5 Surij, ad XI Oct.*

Quid vero clerus Gandensis in ea Nordmannorum persecutione egit? Monachi sancti Bauonis totos propemodum centum annos exularunt, perque diuersas ciuitates, & regiones, peregrinari cogebantur: semper tamen corpus diui Bauonis, aliorumque sanctorum, ceu thesaurum lõge omnium pretiosissimum, secum diligentissime ac religiosissime circumferebant, eorumq; potissimum præsentiæ fiducia, se tantis in miserijs vtcunque consolabantur. Sed quis foret scribendi finis, si vel *Officium Gandense, die 6. lectione 5.*

sola

ſola Belgica exempla maiorum noſtrorum recenſeremus, cũ paſſim per totum orbem Chriſtianũ ſumma fuerit erga ſacras reliquias conſeruãdas reuerentia? Quod aliunde copioſe cognoſci poteſt.

Quod vero attinet, ad cuſtodiam ſacroſancti Corporis Chriſti, Deus bone, quãtum elanguit ſeſeque remiſit, noſtri temporis feruor, ſi paululum ſemotiora maiorum ſæcula conſideremus? Qui ſic? Dicam breuiter, duobus tantum Belgij noſtri exemplis adhibitis. Sigebertus Gẽblacenſis chronographus teſtatur ſuo tempore, præſente Henrico Imperatore, reædificatam eſſe eccleſiam ſanctæ Gertrudis Niuigellenſis, quæ ante aliquot annos poſt negligentiam, & incuriam effuſi ſanguinis, concremata erat. Longe vero memorabilior, plenior & clarior, eſt Traiectenſis hiſtoria, à Ioanne Becano, clerico & hiſtorico Traiectenſi, non multo poſt Sigiberti tempora, conſcripta. Sublatũ erat Corpus Domini viuificũ ex duabus in Traiecto eccleſijs, nec re⁹ aliquo ſcrutinio reperiri potuit. Nõ multo poſt, Idibus Maij, grauiſſima diluuij plaga totam ciuitatem attriuit: & Hildebrandus, abbas ſancti Pauli, in die Aſcẽſionis Domini, ſermonem ad populum faciens, admonuit, vt orationibus, ieiunijs, eleẽmoſynis, ſuper negligentia, Dominici Corporis, diuinam placarent iram: alioquin grauior plaga eis, immineret. Et ecce, eodem die horrendũ incẽdium eccleſiam beatæ Mariæ, & maximam partem ciuitatis, abſumpſit. Quam obrem Godfridus epiſcopus iram Dei pertimeſcens, litaniam ſuæ diœceſis cunctis fidelibus indixit, & ipſemet feria quarta Pentecoſtes, nudis incedens pedibus, diuerſa ſanctorum loca, cum litanijs, deuotiſſime viſitauit.

Ad annũ 1040.

Becanus cap. 46.

Quis

Quis hæc nunc facit, aut in plebe, aut in clero? tot ecclesię, tot monasteria, à profanis & sacrilegis nebulonibus, spoliata, prophanata, incensa, sunt. Corpus Domini, chrisma, aliaque nostræ religionis mysteria, tam indigne tractata sunt, vt horreat animus ista recogitare, & tamen quam rarus est, quem propter ista zelus Domini comederit? Maiorem diligentiam multi adhibuerunt, vt thesauros ecclesiæ, immo suos, (de auro & argento loquor,) quam vt sacras reliquias, vt mysteria nostrę religionis, & vt viua Dei templa, custodirent. An miramur ob tam præpostera hominum iudicia, Dei iudicio, multos ecclesiarũ thesauros, multasque ecclesias, nobis eripi? Non hoc miremur, sed omnes & singulos zelus Dei comedat, emendemus nos, vt cessantibus peccatis, cessent quoq; flagella Dei.

Et hæc de thesaurario & custodia thesaurorum ecclesiæ sufficiant: nolo enim nunc stomachum effundere in quosdam sacerdotes, qui tam negligentes fuerunt in medijs periculis constituti, in conseruandis vasis sacris, vt metuam eos, si non seipsos antea dijudicauerint, cum traditoribus grauissimum Dei iudicium reportaturos. Commendo tamen omnibus Thesaurarijs ecclesiarum, prę- ter martyrium Laurentij Archidiaconi martyriũ quoq. Theodori presbyteri, à Sozomeno cõmemo- ratum. Qui cum in ecclesia Antiochena sacrorum vasorum custos esset, & à Iuliano, Iuliani desertoris auunculo, captus, vrgeretur vt in thesaurum regium sacra vasa deferret, in confessione fidei mori maluit, quam tanta impietate animam suam conspucare. *Lib. 5, cap. 7.*

De

De Bibliothecario.

Caput XIIII.

In libro Pōtificali. INter thesauros ecclesiæ numerari quoque solet bibliotheca ecclesiæ. Cuius tanta cura erat nostris maioribus, vt ad eius cūstodiam vnus peculiariter è clero deputaretur. Meminit Anastasius Bibliothecarius Gregorium secūdum sub Sergio Pontifice bibliothecæ Romanæ curam suscepisse. Nostro autem tempore quam variè ecclesiarum bibliothecæ & negligantur, & pereunt? Expediret itaque iuxta veterem disciplinam eius curam vni Canonicorum demandari. Diuus sane Augustinus, qui Canonicam vitam primus reformauit, *Cap. vlt. vitæ.* Possidio teste, ecclesiæ bibliothecam, omnesque codices, diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Meminit huius officij in regula. *Cap. 31, 32.* *Qui*, ait, *codicibus præponuntur, sine murmure seruiant fratribus suis. Codices certa hora singulis diebus petantur. Extra horam qui petierit, non accipiat.*

Scribit autem Onuphrius, ecclesiasticas voces obscuras interpretans, sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cancellarium, (quod munus diu in ecclesia amplissimum fuit, & non nisi summæ auctoritatis presbyteris, & sæpissime Episcopis concedi solitū, eo quod epistolas Romani Pontificis nomine dictaret: & Synodicis Episcoporum consultationibus responderet) Bibliothecarium quoq; ob bibliothecarum, quam habebat, curam, dictū fuisse.

De Hebdomadario.

Caput XV.

Qui

QVI autem Thesaurarius est Louanij in ecclesia sancti Petri, idē & Hebdomadarius à trecētis annis & amplius fuit. Cui incūbit quotidie summum sacrum canere. Sed nomen ipsum indicat hoc onus per hebdomadas solere diuidi. Ideoque ecclesiæ quædam ad primæuam institutionem redire volentes, ex ordine vnum è Canonicis deputant, qui Hebdomadarius sit, cui incumbat omnium Horarum officiū sua hebdomada inchoare, collectas canere: & summum sacrū celebrare.

Solent autem maiores nostri diuersa generis habere Hebdomadarios. Erat enim hebdamadarius lector. De quo integrum caput extat in regula Benedicti. Neq; dubium est quin Canonici, dum vitam communem sub obedientia Episcopi viuerent, & veluti argumentosæ apes sedulo pietatem monachorum sectarentur, hoc hebdomadarium legendi onus ad instar monachorum, in sua communi mensa vsurpauerint. Pro reuerentia enim Dei, & sacerdotum, iam olim vniuersus clerus obseruauit; vt in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarū misceretur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. Quo pertinet quod in Canonicorum regula legitur, *In refectorio quotidie vna reficiantur, nisi forte quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia magistri fiat. Illis quoque comedentibus, & silentium, religiosè tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab eis intentissime audiatur.*

Caput 38.

Concil. Tolet. 3, caput 7.

Fratres autem, monente Benedicto, non per ordinem

Bened. cap. 38. ordinem legebant, sed qui ædificabant audientes. Quomodo in Concilio Aquisgranensi, vbi clero Canonica regula est præscripta, legitur: *Tales ad legendum constituatur, qui suauitate le-*

Cap 133. *ctionis & doctos demulceant, & minus doctos erudiant.*

Erant quoque inter monachos septimanarij siue hebdomadarij coquinæ. De quibus Benedictus scribit. *Fratres sibi inuicem seruiant & nullus ex-*

Cap. 35. *cusetur à coquina officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde maior merces, & charitas, acquiritur.* Id ipsum est quod in Cõcilio Aquisgranensi paulo breuius, & obscurius, de Canonicis legitur.

Cap. 123. *Vicißim in refectorio, & cæteris cõmunibus neceßitatibus, sibi fraternitatis officio fungantur.*

In hoc autem officio sese Carolomannus, gloriosissimus Austrasiæ princeps, summum præbuit humilitatis, & patientię, exemplar. Cum enim relicto contemptoque propter Christum regno terreno in Soractis montis monasterium secessisset, & inde, quoniam crebro à Frãcis prætereuntibus salutabatur, cum fido socio sese Cassinum recepisset, & rigida se sancti Benedicti disciplina deuinxisset, accidit vt hebdomadarius ad coquinæ officium deputaretur. Cum autẽ in multis ignoranter offenderet, coquus, vino exæstuans, ter ei, vt

Lib. 2. inter alios testis est Rhegino, alapam dedit. Quod ipse placido vultu pertulit. Sed ab indiuiduo comite, dignitas eius prodita est, & deinceps cũ magna reuerentia est obseruatus.

Scribit

Scribit etiam Bernardus de sancto Malachia, quod ipse in monasterio Ibracensi in ordine vicis suæ, episcopus existens, coquinæ ministerio inseruiebat: & fratribus, cum recũberent, ministrabat. *In vita Malachiæ*

Huiuscemodi autem tam in coquina quam in mensa, nullum nunc superest inter Canonicos vestigium, eo quod communis illa & primæua viuendi ratio iam diu inter eos sit extincta. Hebdomadarij vero in choro officium, etsi nõ parum immutatum, & varium, adhuc permanet. Quidam tamen Canonici, medios quibusdam in locis instituerunt inter Canonicos & Capellanos, qui habitu sint Canonici, officio autem eorum per hebdomadas vicarij: Quos Traiectẽsis ecclesia peculiari voce Canonicatos vocat.

De magistro cerimoniarum.
Caput XVI.

SIcut autem apud Romanos celebre officium est magistri cerimoniarum sanctæ Romanæ ecclesiæ, ita etiam celebres aliquæ Ecclesiæ, inter quas est Mechliniensis, iudicarunt ad decorem suæ ecclesiæ pertinere: Vt aliquis peculiariter magister vel clericus cerimoniarum designaretur, cuius officium foret sanctas ecclesiæ suæ cerimonias diligenter conseruare. Quamuis enim in alijs ecclesijs, vbi nullus est cerimoniarum magister, huius cura esse debeat partim penes Decanum, partim penes Cantorem & magistrum cantus, partim quoque penes eum qui officium ordinat, dignitas tamẽ maiorum potissimum ecclesiarum facile exigit, vt vnus peculiariter, cõmuni auctoritate, huic officio deputetur, & diligenter incumbat.

bat. Qui enim cerimonias sacras contemnit, paulatim in maiorum rerum contemptum prolabitur. Memini enim me popularem & doctam aliquando audiuisse Pipini Rosæ concionantis de cerimonijs comparationem. Dicebat cerimonias similes esse paruis ligulis, quibus circuli doliorũ colligantur. Videntur paruuæ illæ ligulæ parum conferre vt tantum vini in magnis vasis conseruetur, & tamen experientia docet sine istis ligulis magnos circulos vinum in vase conseruare non posse. Eundem in modum subsumebat, cerimonias sacras, si per se spectentur, non videri magnificiendas, sed si consideretur quem vsum Ecclesiæ Dei conferant, quodque nostræ infirmitati necessarium sit vt per huiusmodi externa symbola integritas religionis in nobis conseruetur, & foueatur, per omnem modum eas conseruandas esse.

Pipinius Rosa Landësis, Prædicator Louaniensis, qui obijt Suffraganeus Mechliniensis.

Monuit autem Gregorius Papa Anglorum Apostolus, Augustinum episcopum, sibi placere vt non sit astrictus Romanæ ecclesiæ consuetudini, sed si quid in Gallia, aut alibi, inueniat quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite eligat, & ex singulis quibusque ecclesijs, quæ pia, quę religiosa, quæ recta, sunt quasi in vnum fasciculũ collecta, apud Anglorum mentes, in consuetudinem deponat.

Apud Bedam lib. 1, cap. 27.

Neque turbet quemquam hæc in diuersis ecclesijs cerimoniarum varietas. Pulchræ enim scribit beatus Augustinus, Casilano presbytero eam, pertinere ad ornatum sponsæ Christi, quæ est ecclesia: de qua à Psalmista scriptum est, *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.*

Epist. 86.

Ps. 44.

Quod

Quod si etiam quædam cerimoniæ non habeant obuiam significationem, saltē ignorare non possumus eas sacras esse, & ad Dei cultum à maioribus nos eas accepisse. In quibus locum habeat quod sub finem Ecclesiasticæ hierachiæ scribit sanctus Dionysius: *Non nostra scientia diuina omnia circumscribi, multaque eorum, quæ à nobis ignorātur, causas habere Deo dignißimas, quas nos quidem, ignoremus cognitas autem habeant nobis superiores ordines.* *Dio Areopag.*

De cellario, quo ad grana.
Caput XVII.

APud veteres etiam Canonicos valde celebre erat nomen & officium Cellarij. Breuis eius mētio est in diui Augustini regula. *Siue*, ait, *qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus, præponūtur, sine murmure seruiant fratribus suis.* *August. cap. 31.* Latius verò Benedictus hunc in modum scribit: *Cellarius monasterij eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multō edax, non elatus, non turbulentus non iniuriosus, non tardus, nō prodigus, sed timēs Deum, qui omni congregationi sit sicut pater: curā gerat de omnibus; sine iußione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur custodiat: fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter, cum humilitate, male petenti dene-* *Bened. cap. 31.*

get. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici, quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantium, hospitum pauperũque, cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo respõsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutum annonam, sine aliquo typho, vel mora offerat, vt non scandalizentur. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Hęc Benedictus, cuiùs verba libenter cito, eò quòd olim inter monachos & Canonicos eadem soleat esse Cellarij ratio. Vt aũt id plenius intelligatur, attendamus quid Aquisgrani in regula Canonicorũ de eo sit statutum. *Debet procurare prælatus vt fratribus cellerarium no(vionlentum, vel) violentum, non superbum, non tardum, nõ prodigum, sed moribus honestum, ac Deum timentem, cõstituat; qui & stipendia fratrum fideliter seruet, & diligenti cura administret, & in administrando nullatenus fratres contristet. Cui etiam pistrinum fratrum committendum est, vt illud vigilãtissima cura custodiat.*

Est

Est autem cellarij vocabulum iuxta Grammaticos latæ significationis. Cella enim dicitur omnis locus in quo aliquid reponitur : vt est, cella vinaria, olearia, farinaria, pomaria, lignaria, libraria, casiaria, & similium rerum. Vsitate autem, & in præsenti negotio, cellarius dicitur qui rebus esculentis & poculentis præest, Quem alij œconomum domus, procuratorem, dispensatorem, veteres nonnulli promum, Plautus promum & condum, vocant. Huius officij honor perdurat in monasterijs, sed in Canonicorum collegijs iam diu exoleuit, postquam viuendi ratio communis in priuatam est commutata. In multis tamen collegijs commune est granarium, vnde vnusquisque Canonicorum suam annonam, atque præbendæ portionem, percipit. *Plau. in Pseudulo.*

Velim aũt Canonicos admonitos, vt, quando præuident difficilia subsecutura tẽpora, in quibus fames atq; caristia erit, proponãt sibi exemplum patriarchæ prudentissimi Ioseph, qui contra futurã septem annorũ famem, qua præuidebat opprimendam esse Aegyptum, cõstituit per septem annos fertilitatis, per cunctas regiones, quintam partem fructuum, congregari; eamque sub potestate Pharaonis condi, & in vrbibus seruari. Proponãt quoque sibi exemplum Christianorum Antiochiæ. De quibus in Actis Apostolorum scriptum est : *Superuenerunt ab Hierosolymis prophetæ*, hoc est, futura prædicentes, *Antiochiam, & surgens ex eis vnus, nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta* *Gen. 41.* *Act. 11.*

uidentibus, mariti ab vxoribus, liberi à parētibus, separarētur, ne insuetudine nauigij, & crudelitate, afflicti, consumerentur. Sed Victoris verba audiamus. *Deo-gratias episcopo constituto factum est peccatis vrgentibus, vt vrbem illam quondam nobilißimam atq; famosam decimo quinto regni sui anno Geisericus caperet, Romam. Et simul exinde regum multorum diuitias, cū populis, captiuauit. Quæ dum multitudo captiuitatis Africanum attingeret littus, diuidentibus VVandalis & Mauris ingentem populi quantitatem, vt moris est barbaris, mariti ab vxoribus, liberi à parentibus, separabantur. Statim sategit vir Deo plenus, & carus, vniuersa vasa ministerij, aurea, vel argentea, distrahere, & libertatē de seruitutè barbarica liberare, & vt coniugia fœderata manerent, & pignora genitoribus redderent. Et quia nulla loca sufficiebāt ad capessendam multitudinem tantam, basilicas duas nominatas, & amplas, Fausti, & Nouarū, eorum lectulis, atq; straminibus, deputauit, decernens per singulos dies quātum quis pro merito acciperet. Et quia plerosq; insuetudo nauigij, & crudelitas captiuitatis, afflixerat, nō paruus inter eos numerus fuerat ægrotorum, quos ille beatus antistes, vt pia nutrix, per momenta singula, cum medicis circuibat, sequentibus cibis, vt inspecta vena quid cui opus esset, illo præsente daretur. Sed nec nocturnis horis ab hoc opere misericordiæ feriabatur, sed pergebat excurrens per singulos lectos, sciscitans qualiter quisque haberet. Ita se tradiderat omnino la-*

Lib. 1. de persecut. VVandal.

bori, vt nec defeßis membris, nec cariosæ iã senectuti parceret. Quo liuore Ariani succensi, dolis eum quã plurimis voluere sæpius enecare. Quod credo prauidens Dominus, cito passerẽ suũ de manibus accipitrum voluit liberare. Cuius exitium ita Vrbici captiui planxerunt, vt tunc se putarent magis tradi manibus barbarorũ quãdo ille perrexit ad cælũ. *Vrbicos vocat Romanos.*

Passus est etiam sanctus Cyrillus Hierosolymorum episcopus, cuius Catecheses habemus, ab Acacio Ariano episcopo calumniam ex eo quod thesaurum ecclesiæ, & sacra aulæa vendidit, cum pecuniç non sufficerent ad subleuandam famem, quæ tum agrum Hierosolymitanum occupauerat, vt testis est Zozomenus libro quarto historiæ ecclesiasticæ.

Ab hoc vero Ariano Acacio quantum discrepat Acacius episcopus Amidenus? Cũ enim Romani milites circiter septem millia Persarum militum in depopulanda Azazena prouincia captiuos abduxissent, eosque propemodum fame enecarent, Acacius conuocatis clericis monet aurea argenteaque monumenta ex propensa fideliũ benignitate ecclesiæ collata, conflanda & vendenda esse. Quod factum est. Et pretia partim militibus Romanus pro captiuis redimendis dedit: partim ad eorum famem subleuandam impendit. Postremo, viatico illis suppeditato, ad suum ipsorum Regem, cum maxima eius admiratione remisit. Quod illius temporis historiographus Socrates Scholasticus Cõstantinopolitanus, libro septimo historiæ ecclesiasticæ describit. Exemplum sanè in Episcopo memorabile, non tantum in hostes Romani Imperij, sed etiam in Christiani nominis persecutores, impensum. *Cap. 21*

Denique, vt exemplorum finem faciam, Ezechias pijssimus rex, cū regi Sennacherib numeraturus esset trecenta talenta argenti, & triginta talenta auri, vt è regno Iuda secederet, omne argentum domus Domini accepit, & valuas templi confregit, & laminas àuri, quas affixerat. Quod multi imprudenter eum fecisse arbitrarentur, sed nos contra tales munimur sacræ Scripturæ testimonio, quo declaratur in regibus Iuda similem non habuisse, & in cunctis ad quæ procedebat, sapienter se egisse.

4 Reg. 18.

Sufficere arbitror hęc sanctissimorum virorum exempla, ex diuersorum temporum & locorum consęnsione petita, ad docendum vasa sacra in necessitatibus, iure sacro expressis, profananda & cōsumenda esse. Quamquam vt necessitate legitima, sic & magna prudentia, hic opus sit. Quantæ fuerunt in Belgio nostro, exhulceratissime perturbato, necessitates, quando non solum ex vrbibus, sed etiam ex populosis prouincijs, cum monastico ordine sacerdosium, fugatum fuit. Quænam ecclesia est quę in necessitates Pastorum pro Christo exulantium, aut vsuale suum argentū, vt Gregorij supra citatis verbis vtar, aut thesauros, & sacra vasa, impendit? Quænam ecclesia suos sacerdotes aut carceribus, aut morti à barbaris hominibus destinatos, thesauris ecclesiæ liberauit? Si quæ sint, perrarę sunt. Passim enim tam clero, quā plebeijs, inest carnalis illa sapientia, quod ornamenta ecclesiæ ad ornatum & ostentationem sint conseruanda, & propter nullas, quantumcunque euidentes, necessitates alienanda.

Immo plus dico, quidā è clero lōge diligentius conseruant aurum & argentum ecclesiæ quàm sacras,

cras reliquias, quam mysteria nostræ religionis. At longe fuit alius maiorum nostrorum spiritus. Neque penes vnum thesaurariũ, sed penes omne sacerdotiũ, immo etiam penes plebem, idem erat feruor, vt nulla Sacramento Corporis Christi, sacris reliquijs, ecclesijs, altaribus, aut vllæ sacræ rei, inferretur iniuria.

Olim Tremonienses ab Annone archiepiscopo sancti alicuius corpus postularũt, quo terra eorum reuerentior, & ab hostibus securior, esset Vnde sancti Reinoldi corpus eis contulit. *Reinold. in vita, 2. parte legenda.*

Et vt ad Brabantiam nostram veniam, cum Nord-manni per Sceindam Turninum deuenerent, vbi monasterium erat sancti Fredegandi cõfessoris, Deus propter iniquitatem inhabitãtium, vt in translatione sancti Gummari legitur, locum exosus, reliquias ipsius iussit alte transportari, vt nullum esset obstaculum contra desolationem. Quibus sublatis, velut muro & turribus ciuitatis destructis, irruit gẽs inimica, & incendio perdidit omnia ędificia, ipsumque monasterium cõsumpsit: homines partim trucidauit, partim captiuos abduxit. *Ibidem, & tomo 5 Surij, ad XI Oct.*

Quid vero clerus Gandensis in ea Nordmannorum persecutione egit? Monachi sancti Bauonis totos propemodum centum annos exularunt, perque diuersas ciuitates, & regiones, peregrinari cogebantur: semper tamen corpus diui Bauonis, aliorumque sanctorum, ceu thesaurum lõge omnium pretiosissimum, secum diligentissime ac religiosissime circumferebant, eorumq; potissimum præsentiæ fiducia, se tantis in miserijs vtcunque consolabantur. Sed quis foret scribendi finis, si vel *Officium Gandense, die 6. lectione 5.*

sola

ſola Belgica exempla maiorum noſtrorum recenſeremus, cū paſſim per totum orbem Chriſtianū ſumma fuerit erga ſacras reliquias conſeruādas reuerentia? Quod aliunde copioſe cognoſci poteſt.

Quod vero attinet, ad cuſtodiam ſacroſancti Corporis Chriſti, Deus bone, quātum elanguit ſeſeque remiſit, noſtri temporis feruor, ſi paululum ſemotiora maiorum ſæcula conſideremus? Qui ſic? Dicam breuiter, duobus tantum Belgij noſtri exemplis adhibitis. Sigebertus Gēblacenſis chronographus teſtatur ſuo tempore, præſente Henrico Imperatore, reædificatam eſſe eccleſiam ſanctæ Gertrudis Niuigellenſis, quæ ante aliquot annos poſt negligentiam, & incuriam effuſi ſanguinis, concremata erat. Longe vero memorabilior, plenior & clarior, eſt Traiectenſis hiſtoria, à Ioanne Becano, clerico & hiſtorico Traiectenſi, non multo poſt Sigiberti tempora, conſcripta. Sublatū erat Corpus Domini viuificū ex duabus in Traiecto eccleſijs, nec re⁹ aliquo ſcrutinio reperiri potuit. Nō multo poſt, Idibus Maij, grauiſſima diluuij plaga totam ciuitatem attriuit: & Hildebrandus, abbas ſancti Pauli, in die Aſcēſionis Domini, ſermonem ad populum faciens, admonuit, vt orationibus, ieiunijs, eleēmoſynis, ſuper negligentia, Dominici Corporis, diuinam placarent iram: alioquin grauior plaga eis, immineret. Et ecce, eodem die horrendū incēdium eccleſiam beatæ Mariæ, & maximam partem ciuitatis, abſumpſit. Quam obrem Godfridus epiſcopus iram Dei pertimeſcens, litaniam ſuæ diœceſis cunctis fidelibus indixit, & ipſemet feria quarta Pentecoſtes, nudis incedens pedibus, diuerſa ſanctorum loca, cum litanijs, deuotiſſime viſitauit.

Ad annū 1040.

Becanus cap. 46.

Quis

Quis hæc nunc facit, aut in plebe, aut in clero? tot ecclesię, tot monasteria, à profanis & sacrilegis nebulonibus, spoliata, prophanata, incensa, sunt. Corpus Domini, chrisma, aliaque nostræ religionis mysteria, tam indigne tractata sunt, vt horreat animus ista recogitare, & tamen quam rarus est, quem propter ista zelus Domini comederit? Maiorem diligentiam multi adhibuerunt, vt thesauros ecclesiæ, immo suos, (de auro & argento loquor,) quam vt sacras reliquias, vt mysteria nostrę religionis, & vt viua Dei templa, custodirent. An miramur ob tam præpostera hominnm iudicia, Dei iudicio, multos ecclesiarũ thesauros, multasque ecclesias, nobis eripi? Non hoc miremur, sed omnes & singulos zelus Dei comedat, emendemus nos, vt cessantibus peccatis, cessent quoq; flagella Dei.

Et hæc de thesaurario & custodia thesaurorum ecclesiæ sufficiant: nolo enim nunc stomachum effundere in quosdam sacerdotes, qui tam negligentes fuerunt in medijs periculis constituti, in conseruandis vasis sacris, vt metuam eos, si non seipsos antea dijudicauerint, cum traditoribus grauissimum Dei iudicium reportaturos. Commendo tamen omnibus Thesaurarijs ecclesiarum, prę ter martyrium Laurentij Archidiaconi martyriũ quoq. Theodori presbyteri, à Sozomero cõmemoratum. Qui cum in ecclesia Antiochena sacrorum vasorum custos esset, & à Iuliano, Iuliani desertoris auunculo, captus, vrgeretur vt in thesaurum regium sacra vasa deferret, in confessione fidei mori maluit, quam tanta impietate animam suam conspucare. *Lib. 5, cap. 7.*

QVI autem Thesaurarius est Louanij in ecclesia sancti Petri, idē & Hebdomadarius à trecētis annis & amplius fuit. Cui incūbit quotidie summum sacrum canere. Sed nomen ipsum indicat hoc onus per hebdomadas solere diuidi. Ideoque ecclesiæ quædam ad primæuam institutionem redire volentes, ex ordine vnum è Canonicis deputant, qui Hebdomadarius sit, cui incumbat omnium Horarum officiū sua hebdomada inchoare, collectas canere: & summum sacrū celebrare.

Solent autem maiores nostri diuersa generis habere Hebdomadarios. Erat enim hebdamadarius lector. De quo integrum caput extat in regula Benedicti. Neq; dubium est quin Canonici, dum vitam communem sub obedientia Episcopi viuerent, & veluti argumentosæ apes sedulo pietatem monachorum sectarentur, hoc hebdomadarium legendi onus ad instar monachorum, in sua communi mensa vsurpauerint. Pro reuerentia enim Dei, & sacerdotum, iam olim vniuersus clerus obseruauit, vt in omni sacerdotali conuiuio lectio diuinarum scripturarū misceretur. Per hoc enim & animæ ædificantur ad bonum, & fabulæ non necessariæ prohibentur. Quo pertinet quod in Canonicorum regula legitur, *In refectorio quotidie vna reficiantur, nisi forte quem necessitas abesse compulerit, & hoc non sine licentia magistri fiat. Illis quoque comedentibus, & silentium, religiosè tenentibus, continuatim legatur lectio, & ab eis intentissime audiatur.*

Caput 38.

Concil. Tolet. 3, caput 7.

Fratres autem, monente Benedicto, non per ordinem

Bened. cap. 38. ordinem legebant, sed qui ædificabant audientes. Quomodo in Concilio Aquisgranensi, vbi clero Canonica regula est præscripta, legitur: *Tales ad legendum constituatur, qui suauitate le-* Cap 133. *ctionis & doctos demulceant, & minus doctos erudiant.*

Erant quoque inter monachos septimanarij siue hebdomadarij coquinæ. De quibus Benedictus scribit. *Fratres sibi inuicem seruiant & nullus ex-* Cap. 35. *cusetur à coquinæ officio, nisi aut ægritudine, aut in causa grauis vtilitatis quis occupatus fuerit, quia exinde maior merces, & charitas, acquiritur.* Id ipsum est quod in Cõcilio Aquisgranensi paulo breuius, & obscurius, de Canonicis legitur. Cap. 123. *Vicißim in refectorio, & cæteris cõmunibus necessitatibus, sibi fraternitatis officio fungantur.*

In hoc autem officio sese Carolomannus, gloriosissimus Austrasiæ princeps, summum præbuit humilitatis, & patientiæ, exemplar. Cum enim relicto contemptoque propter Christum regno terreno in Soractis montis monasterium secessisset, & inde, quoniam crebro à Frãcis prætereuntibus salutabatur, cum fido socio sese Cassinum recepisset, & rigida se sancti Benedicti disciplina deuinxisset, accidit vt hebdomadarius ad coquinæ officium deputaretur. Cùm autẽ in multis ignoranter offenderet, coquus, vino exæstuans, ter ei, vt Lib. 2. inter alios testis est Rhegino, alapam dedit. Quod ipse placido vultu pertulit. Sed ab indiuiduo comite, dignitas eius prodita est, & deinceps cũ magna reuerentia est obseruatus.

Scribit

Scribit etiam Bernardus de sancto Malachia, quod ipse in monasteria Ibracensi in ordine vicis suæ, episcopus existens, coquinæ ministerio inseruiebat: & fratribus, cum recūberent, ministrabat. *In vita Malachiæ*

Huiuscemodi autem tam in coquina quam in mensa, nullum nunc superest inter Canonicos vestigium, eo quod communis illa & primæua viuendi ratio iam diu inter eos sit extincta. Hebdomadarij vero in choro officium, etsi nō parum immutatum, & varium, adhuc permanet. Quidam tamen Canonici, medios quibusdam in locis instituerunt inter Canonicos & Capellanos, qui habitu sint Canonici, officio autem eorum per hebdomadas vicarij: Quos Traiectēsis ecclesia peculiari voce Canonicatos vocat.

De magistro cerimoniarum.

Caput XVI.

SIcut autem apud Romanos celebre officium est magistri cerimoniarum sanctæ Romanæ ecclesiæ, ita etiam celebres aliquæ Ecclesiæ, inter quas est Mechliniensis, iudicarunt ad decorem suæ ecclesiæ pertinere: Vt aliquis peculiariter magister vel clericus cerimoniarum designaretur, cuius officium foret sanctas ecclesiæ suæ cerimonias diligenter conseruare. Quamuis enim in alijs ecclesijs, vbi nullus est cerimoniarum magister, huius cura esse debeat partim penes Decanum, partim penes Cantorem & magistrum cantus, partim quoque penes eum qui officium ordinat; dignitas tamē maiorum potissimum ecclesiarum facile exigit, vt vnus peculiariter, cōmuni auctoritate, huic officio deputetur, & diligenter incumbat.

bat. Qui enim cerimonias sacras contemnit, paulatim in maiorum rerum contemptum prolabitur. Memini enim me popularem & doctam aliquando audiuisse Pipini Rosæ concionantis de cerimonijs comparationem. Dicebat cerimonias similes esse paruis ligulis, quibus circuli doliorũ colligantur. Videntur paruuæ illæ ligulæ parum conferre vt tantum vini in magnis vasis conseruetur, & tamen experientia docet sine istis ligulis magnos circulos vinum in vase conseruare non posse. Eundem in modum subsumebat, cerimonias sacras, si per se spectentur, non videri magnificiendas, sed si consideretur quem vsum Ecclesiæ Dei conferant, quodque nostræ infirmitati necessarium sit vt per huiusmodi externa symbola integritas religionis in nobis conseruetur, & foueatur, per omnem modum eas conseruandas esse.

Pipinius Rosa Landēsis, Prædicator Louaniensis, qui obijt Suffraganeus Mechliniensis.

Monuit autem Gregorius Papa Anglorum Apostolus, Augustinum episcopum, sibi placere vt non sit astrictus Romanæ ecclesiæ consuetudini, sed si quid in Gallia, aut alibi, inueniat quod plus omnipotenti Deo possit placere, solicite eligat, & ex singulis quibusque ecclesijs, quæ pia, quę religiosa, quæ recta, sunt quasi in vnum fasciculũ collecta, apud Anglorum mentes, in consuetudinem deponat.

Apud Bedam lib. 1, cap. 27.

Neque turbet quemquam hæc in diuersis ecclesijs cerimoniarum varietas. Pulchræ enim scribit beatus Augustinus, Casilano presbytero eam, pertinere ad ornatum sponsæ Christi, quæ est ecclesia: de qua à Psalmista scriptum est, *Astitit regina à dextris tuis in vestitu deaurato, circundata varietate.*

Epist. 86.

Ps. 44.

Quod

Quod si etiam quædam cerimoniæ non habeant obuiam significationem, saltē ignorare non possumus eas sacras esse, & ad Dei cultum à maioribus nos eas accepisse. In quibus locum habeat quod sub finem Ecclesiasticæ hierachiæ scribit sanctus Dionysius: *Non nostra scientia diuina omnia circumscribi, multaque eorum, quæ à nobis ignorātur, causas habere Deo dignißimas, quas nos quidem, ignoremus cognitas autem habeant nobis superiores ordines.* *Dio Areopag.*

De cellario, quo ad grana.
Caput XVII.

APud veteres etiam Canonicos valde celebre erat nomen & officium Cellarij. Breuis eius mētio est in diui Augustini regula. *Siue*, ait, *qui cellario, siue qui vestibus, siue qui codicibus, præponūtur, sine murmure seruiant fratribus suis.* *August. cap. 31.* Latius verò Benedictus hunc in modum scribit: *Cellarius monasterij eligatur de congregatione sapiens, maturus moribus, sobrius, non multō edax, non elatus, non turbulentus non iniuriosus, non tardus, nō prodigus, sed timēs Deum, qui omni congregationi sit sicut pater: curā gerat de omnibus; sine iußione Abbatis nihil faciat: quæ iubentur custodiat: fratres non contristet. Si quis autem frater ab eo forte aliquid irrationabiliter postulat, non spernendo eum contristet, sed rationabiliter, cum humilitate, male petenti denegeт.* *Bened. cap. 31.*

get. Animam suam custodiat, memor semper illius Apostolici, quia qui bene ministrauerit, gradum bonum sibi acquirit. Infirmorum, infantium, hospitum pauperũque, cum omni solicitudine curam gerat, sciens sine dubio quia pro his omnibus in die iudicij rationem redditurus est. Humilitatem ante omnia habeat: & cui substantia non est quæ tribuatur, sermo respõsionis porrigatur bonus, vt scriptum est: Sermo bonus super datum optimum. Omnia quæ ei iniunxerit Abbas, ipse habeat sub cura sua: à quibus eum prohibuerit, non præsumat. Fratribus constitutum annonam, sine aliquo typho, vel mora offerat, vt non scandalizentur. Si congregatio maior fuerit, solatia ei dentur, à quibus adiutus, & ipse æquo animo impleat officium sibi commissum. Hęc Benedictus, cuius verba libenter cito, eò quòd olim inter monachos & Canonicos eadem soleat esse Cellarij ratio. Vt aũt id plenius intelligatur, attendamus quid Aquisgrani in regula Canonicorũ de eo sit statutum. *Debet procurare prælatus vt fratribus cellerarium nõ (vionlentum, vel) violentum, non superbum, non tardum, nõ prodigum, sed moribus honestum, ac Deum timentem, cõstituat; qui & stipendia fratrum fideliter seruet, & diligenti cura administret, & in administrando nullatenus fratres contristet. Cui etiam pistrinum fratrum committendum est, vt illud vigilãtißima cura custodiat.*

Est

Est autem cellarij vocabulum iuxta Grammaticos latæ significationis. Cella enim dicitur omnis locus in quo aliquid reponitur: vt est, cella vinaria, olearia, farinaria, pomaria, lignaria, libraria, casiaria, & similium rerum. Vsitate autem, & in præsenti negotio, cellarius dicitur qui rebus esculentis & poculentis præest, Quem alij œconomum domus, procuratorem, dispensatorem, veteres nonnulli promum, Plautus promum & condum, vocant. Huius officij honor perdurat in monasterijs, sed in Canonicorum collegijs iam diu exoleuit, postquam viuendi ratio communis in priuatam est commutata. In multis tamen collegijs commune est granarium, vnde vnusquisque Canonicorum suam annonam, atque præbendæ portionem, percipit. *Plau. in Pseudulo.*

Velim aũt Canonicos admonitos, vt, quando præuident difficilia subsecutura tẽpora, in quibus fames atq; caristia erit, proponãt sibi exemplum patriarchæ prudentissimi Ioseph, qui contra futurã septem annorũ famem, qua præuidebat opprimendam esse Aegyptum, cõstituit per septem annos fertilitatis, per cunctas regiones, quintam partem fructuum, congregari; eamque sub potestate Pharaonis condi, & in vrbibus seruari. Proponãt quoque sibi exemplum Christianorum Antiochiæ. De quibus in Actis Apostolorum scriptum est: *Superuenerunt ab Hierosolymis prophetæ*, hoc est, futura prædicentes, *Antiochiam, & surgens ex eis vnus, nomine Agabus, significabat per Spiritum famem magnam futuram in vniuerso orbe terrarum, quæ facta* *Gen. 41.* *Act. 11.*

est sub Claudio, anno videlicet Imperij eius quarto. Hanc autem famem nonnulli restringunt ad Iudæam, eo quod collecta tantum facta sit pro fratribus in Iudæa habitātibus per vniuersum orbem synechdochice intelligentes totam Iudæam. Sed constat hanc famem etiam Romæ fuisse. Meminit enim eius Suetonius, de Claudio scribens, *Arctiore annona ob aßiduas sterilitates detentus, quondam medio foro à turba, conuicijsque, ac simul fragminibus panis. ita infestitatus, vt ægre, nec nisi postico, euadere in palatium valuerit, nihil non ex eo cogitauit ad inuehendos, etiam tempore hyberno, commeatus. Nam & negotiatoribus lucra proposuit, suscepto in se damno, & naues mercaturæ causa fabricantibus magna commoda.* Quod igitur, cum prophetę ex Hierosolymis Antiochiā venissent, collecta facta sit potius pro fratribus in Iudæa, quam alibi habitantibus, mirari non oportet, si tria attendamus: primo, illos peculiariter sua posuisse ad pedes Apostolorum; secundo, eos bonorum suorum, rapinam cum gaudio suscepisse: tertio, Deo puniente Iudæam ob necem Chrsti Saluatoris, bonos cum malis afflictos fuisse. Igitur *Discipuli, pro vt quisque habebat,* (loquitur de Christianis in Antiochia habitātibus) *proposuerūt singuli in ministerium,* (hoc est, in subsidium necessitatis. Subministrat enim qui necessaria suppeditat) *mittere* aliquam eleemosynā, *habitantibus in Iudæa fratribus. Quod & fecerūnt, mittentes ad seniores per manus Barnabæ, & Sauli.*

Cap. 18.

Hæc

Hæc exempla etsi omnē Christianum doceant quid contra futuram, quę præuidetur, famem, facere oporteat, peculiariter tamen sacerdotium in tali afflictione constitutis succurrere debet. Sacerdotes enim Dei, qui peccata populi comedunt, præ reliquis sunt sal terræ, & lux mundi: sunt patres, qui famem & inediam patientibus, omnibusque afflictis, animum paternum exhibere debent. Itaque à clero, dum fames populum Dei affligit, hoc in primis agendum est, ne principes terræ, ne Senatores, & magistratus populorum, vllos Dardanarios, & propôlas, qui annonam flagellant, incendunt, vexant, & in granarijs auertunt, in sua re-publica esse sinant, sed eos, veluti veros gurguliones, & pestes patriæ, prorsus oderint, & seuerè puniāt, ne & ipsi participes sint maledictionis, de qua à Sapiente scriptū est, *Qui abscondit frumenta, maledicetur à populis.* Nec mirum est eis à populo maledici, cum de fame publica negotientur, & frumentarij pretij captatores in viscera hominum duri insidientur. Ideoq; Ioannes Chrysostomus in sacra ad populum concione exclamauit huiusmodi hostem publicum, qualibet fera seueriorem, lapidibus obruendum esse. Significat autem quid contra eos agendum sit non factione priuata, sed publica authoritate.

Osea 4.
Matt. 5.
Prou. 11.
Ambr. 3. offic. c. 6.
Hom. 39. in 1. ad Corinth.

Deinde agendum est à viris ecclesiasticis vt ipsi quoque omni humanitate, per seipsos, famem inediamque patientibus succurrant. Quæ res dignitatem sacerdotij mirum in modum in populo commendat atque conseruat. Quo pertinet quod apud Sapientem sequitur: *Benedictio autem*

Prou. 11.

super caput vendentium. Quanto magis super caput partim vendentium, & partim donantium?

Sidonius, Auernorum episcopus, summopere, gratias agit Patienti, sancto episcopo Lugdunensi, quod post Gotthicam depopulationem, post segetes incendio absumptas, peculiari sumptu inopiæ communi per desolatas Gallias succurrerit, granarijs non duo vt loquitur, nauigia, sed potius duo complens flumina, Ararim & Rhodanum. Vnde ei pro alimonia collata immensas gratias egerunt Arelatenses, Rhegienses, Aueniocus, Aurasionenses, Albenses, Valentini, Trecassini, & Arnerui.

Libro 6, epist. vlt.

Rursus ad annū Domini 1146. à Roberto Nordmanno abbate in Supplemento Sigeberti annotatum est. *Fames permaxima grassatur in Gallia: in qua ecclesiarum Christi enituit liberalis munificentia, qua in sustentationem pauperum multa expenderunt modiorum millia.*

In Suppl. Sigeberti.

Et vt duo recentia exempla veteribus coniungam, Philippus de Hosdin, abbas monasterij sanctæ Gertrudis intra Louaniū, liberalitate sua, qua priuatim, & publice tam diuites, quam pauperes, annona & fame laborantes, iuuit, tantum nomen anno 1557 cōsecutus est, vt eum deinceps, velut verum patriarchæ Iosephi æmulum, omnes oppidani, & viuentem venerati sint, & morientem multum luxerint.

Gen. 41. & deinceps.

Postremum exemplū sit quod anno 1546 dedit abbatia Præmonstratensis ordinis oppidi Middelburgēsis. Cum enim triticum per Zelandiā venderetur coronato, & ægre haberi posset, Senatores Middelburgenses consilij caussa adierunt domi-

num

num prælatum Florentium de Schoen-houia, virum prudentia & pietate celebrem. Is mox, etsi vix haberet sexcēta halstaria, quibus carere posset, obtulit ea Senatui, exigendo tantum pro quolibet halstario viginti sex stuferos: ea tamen cōditione, vt ipsi, eius exemplo, publici boni caussa, aliquid suo publico ærario detraherent, hac videlicet ratione, vt quod primo die fori venderetur viginti sex stuferis, id secundo die forēsi viginti quatuor: tertio die, viginti duobus: quarto vero die, viginti tantum stuferis, distraheretur. Id factum est. Et mox cum hūc in modum decresceret Middelburgi pretium tritici alijs obstupescentibus, & facti speciem nescientibus, sufficiens fuit per Zelandiā vsque in messem nouam triticum, viginti stuferis venale; omnibus quod absconderant producentibus. Immo tantū superfuit, vt non-nulli Dardanarij, mense Augusto, coacti sint, cum alijs diuendere non possent, frumenta sua vili pretio pistoribus obtrudere.

Olim vnus quidem erat Cellarius, sed qui nomine totius monasterij, aut collegij, sine iussione Abbatis, aut Episcopi, nihil faciens, curam gerebat non tantum fratrum, sed etiam infirmorum, infantium, hospitum, & pauperum, quamquam ex regula Canonicorum animaduertere liceat, præter cellarium, alium pro infirmis, alium pro infantibus, alium pro hospitibus & pauperibus, deputatū fuisse, qui eorum curam gereret.

Olim vna ecclesia Constantinopolitana, tempore Ioānis Chrysostomi, quod ipse testatur, quotidie alebat vltra tria milia virginū & viduarum, præter alios mendicos, ægrotos, leprosos, incarcenatos, aduenas: quibus cibū & indumenta præbebat. *Hom. 67. in Matth. & 33. ad Antioch.*

Olim ecclesiæ Dei pro publicis & priuatis populi Dei necessitatibus, tam præsentibus, quam futuris, habere solent horrea, & horrearios, quorum aliquoties Gregorius magnus meminit. Et contemporaneus ei, Gregorius Turonensis episcopus, libro decimo ecclesiasticæ historiæ Francorum, meminit tanta inundatione Tyberim fluuium vrbē Romam obtexisse, vt ædes antiquæ diruerētur, horrea etiam ecclesiæ subuersa sint, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periere. Subsecutamque esse de vestigio cladem inguinariam, quę, primum omnium, à sanctuario incipiens, Pelagiū papam perculit.

Lib. 1, epi. 42, lib. 10, ep. 39.
Initio libri 10.
Ezech. 9.

Sane Gregorius magnus huius Pelagij successor, contra imminentem famem, vt Christi pauperibus subueniret, non tantum mandauit ab ecclesiasticis colonis, sine tamen eorum vexatione, frumenta diligententer congregari, sed præterea Petro subdiacono quinquaginta auri libras misit, vt in Sicilia noua frumēta ab extraneis compararet, vt videre licet in libro primo Registri eius ; & exinde apud Ioannem Diaconum Cardinalem, qui vitam eius libris quatuor conscripsit.

Li. 1, epist. 2, & alibi
Epist. 70.
Lib. 2 vitæ Greg. in fine.

Olim Ecdicius, non vir Ecclesiasticus, sed Senator, per omne tempus sterilitatis amplius quam quatuor millia promiscui sexus ab interitu famis exemit. Vnde vocem è celo audiuit. *Ecdici, tibi & semini tuo panis non deerit in sempiternum, eo quod famem meam refectione pauperum satiaueris.*

Gr. Turo. hist. Frāc. li. 2, c. 24.

Quod si in nostri temporis Canonicis, non sit priscus ille iuuandi pauperes & oppressos, Zelus, id saltem

id ſaltem diligentiſſime caueant, ne in ſuo granario, ſpindas, quas vocant, ſeu alias eleemoſynas, ſi quæ pauperibus inde debentur, reſeruent. Sit quoque non minus in pauperes & afflictos miſericordes, quam alij, qui in clero Dei non numerātur: &, poſtremo quando publica fames ingruere videtur, ſint ex primis, qui rem-publicam, & conſilio, & opibus, & cōmunicatione frumentorum, iuuare velint.

De Cellario quo ad penuarium.

Caput XVIII.

HAbent etiam pleraque Canonicorum collegia cellam vinariam, ſiue penuarium, ab accisijs, & ſimilibus oneribus, immune. Cui vnus, aut duo, ex Canonicis, aut aliquis alius à Capitulo deſignatus, præſit, ſub eo onere vt Canonicis bonum vinum procuret.

Et quidem propter reuerentiam myſteriorum Altaris, valde conuenit, omnibus ſacerdotibus, in vſum ſacrificij Miſſæ, purum & bonum vinum curari. Qua in re valde ſolicitus eſſe ſolet ſanctus Gerardus, Moriſſenę ſedis in Pannonia epiſcopus, & martyr, vt teſtis eſt hiſtoria eius, Cracouiæ, & in tomis Surij, edita. Nec multū inde diſtat, quod de VVenceſlao rege, ac martyre, Bohemorum, alibi legitur, eum tempore meſſis & vindemię, oblitum dignitatis ſui primatus, metere & vindemiare ſolere, quod in ſacrificiales hoſtias ſacerdotum manibus offerretur. Vinum enim pretioſum eſſe ſolet, quod à regibus donatur.

Ad 24 diē Sept.

Martyrologium, 28 Sept.

 Cæte-

Cæterum vehementer falluntur iuuenes multi Canonici, si puteant ad sese pertinere, vt semper bibant, bonum vinum. Sicuti enim senibus, moderate sumptum, est lac, vt non-nulli loquuntur: ita iunioribus venenum est, & multorum malorum fomes. Vinum enim calidum, & immoderate, aut frequenter, sumptum, multos iuuenes viros absumit: à quibus sero demum intelligitur illud Ec-

Eccl. 31 clesiastici, *Sanitas est animæ, & corpori, sobrius potus:* & iterum. *Quam sufficiens est homini eru-*

Ibidem. *dito vinum exiguum?* & rursus, *Diligentes in vino noli prouocare: multos enim exterminauit vinum* Et tamen audent etiam non-nulli in

Latera. cap. 15. sub Innoc. 3. clero cõfratres suos ad æquales haustus, cõtra Cõcilij Lateranẽsis decreta cogere. Quã impietatẽ Gulielmus Dupais, Abbas Floreffiẽsis elegãter disticho descripsit. Ait enim de huiusmodi potatore,

Is quater est latro dum se, sociumque, trucidat,

In poematib⁹ sacris. *Vtriusque animam, corpus vtrumque, necat.*

Vinum enim in iucunditatem creatum est, & non in ebrietatem. Ruminent igitur Cano-

Eccl. 31. nici diues, cur à sapientissimo rege dictum sit,

Prou 31. *Noli regibus, o Lamuel, noli regibus dare vinum.*

Cap. 122, Conc. Aquisgr. Solent autem antecessores nostri, vt clare in canonica regula legitur, humiliter agnoscere, crebram vini sterilitatem peccatis præpediẽtibus euenire. Ideoque sine murmure, & cum gratiarum actione, quod dari poterat, accipiebant, & imminente huiuscemodi sterilitatis anno, vinum & quilibet alius potus, in eleemosynam datus, in

com-

communi recondebatur cellario, pro communibus necessitatibus, fratrum, & pauperum, quos pascebat ecclesia. Quotusquisque est autem nunc inter Canonicos, qui deficiente vino, cogitet per peccata sua id fieri? Quam pauci de numero Canonicorum, vinum suum pauperibus, & ægrotis, communicant, quo tamen frequenter ipsi in conuiuijs abutuntur: An miramur, inter tot defectus, deficere nobis vinum? non hoc miremur, sed misericordiam Dei, volentis nos seruare, agnoscamus.

De eleemosynarijs.

Caput XIX.

SED ad pauperum eleëmosynas transeamus. Fuit per aliquot secula moribus ecclesiæ receptũ vt de reditibus ecclesiasticis, & de oblatione fidelium, quatuor fierent portiones, quarum vna, erat Episcopi, altera, cleri, tertia, fabricæ, quarta, pauperum, infirmorum, & peregrinorum. Qua de re Siluestri, Simplicij, Gelasij, Gregorij primi & secundi multorumq; Conciliorum extant testimonia.

Neque satis erat Canonicis, qui virtutem eleemosynarum, verbo & opere, omnibus commendare volebant, quod quarta bonorum Ecclesiæ pars pauperibus cederet, sed ex sua portione libenter decimas pauperibus Christi membris conferebant. Hoc est quod in Canonica regula sub Ludouico Pio scriptum est. *Canonici exceptis decimis, quæ de ecclesiæ villis conferuntur,* *Cap. 141. Conc. Aquisgra.*

tam

tam de frugibus, quam etiam de omnibus eleemosynarum oblationibus, in vsus pauperum decimas libentißime conferant.

Videtur autem inter Hispanos huius portionis dispositio fuisse penes Archidiaconū, aut Archipresbyterum, eo quod in prima Bracarensi synodo legatur: *De quarta parte, siue archipresbyter, siue archidiaconus, illam administrans, Episcopo faciat rationem.* Sed apud alios magis, receptum fuit vt liberiori electione, à Præposito vel Episcopo ex toto collegio fratrum cōstitueretur vnus boni testimonij Canonicus qui pauperum curam haberet, quique si delinquebat, à Præposito iudicabatur, & à ministerio suo remouebatur: Qua de re quid Aquisgrani inter alia constitutum sit, in Capite, cuius inscriptio est, Cui committi stipendia pauperum debeant, audiamus.

Cap. 25.

Boni testimonij frater constituatur, qui Christum in membris suis suscipiat, eisque necessaria libenter pro viribus administret. Qui etiam, quæ in vsus pauperum cedere debent nequaquam in suos vsus reflectat, ne cum Iuda loculos, Domini furante, sententiam damnationis excipiat. Sed & prælatorum debet vigilare industria, ne eum, pauperum res, pauperibus deputatas, in aliquo minuere, aut his, quasi beneficiario munere conceßis, sinant vti. Quod si is curam pauperum neglexerit, eorumque res in suos vsus retorserit, quamquam diuina vltione dignus sit, seuerius tamen, quam cæteri delinquentes à præpositis iudicandus, & à ministerio

Cap. 141.

Ioan. 13.

nisterio remouendus, est. Nec immerito: quippe qui & precia peccatorum, & alimẽta pauperum, & thesaurum cælo recondendum, suis aptauit vsibus.

Cum autem ab aliquot sæculis vetus illa portionum ratio cessauerit, suaque pauperibus bona sint destinata, ex iam dictis facile intelligitur, quam sit necessarium quosdam ex clero deputare, qui omnes pauperum eleemosynas diligenter administrent, aut administrari intelligant, & desuper Episcopo, Ordinario loci, rationem reddant. Iuxta Clementinam constitutionem in Concilio Viennensi æditam, quæ incipit, *Quia contingit*: sub titulo De religiosis domibus vt Episcopo sint subiectæ: & iuxta constitutiones consimiles, quæ desuper in Synodo Tridentina, sessione vigesima secunda, & aliâs, emanarunt.

Lib. 3 Cle. tit. 11. Sess. 22, cap. 9. reform. Item sess. 7 & 25.

Et cum omnibus Christianis dictum sit vt peccata sua eleemosynis redimant, facile ex maiorũ exemplis, & ex doctrina sacrarũ Scripturarum, intelligit quiuis Canonicus, quantum ei necessarium sit vt ex portione præbendæ, sibi à Deo collatæ, aliquid, Christo, eiusq; membris, rependat, ne moriens durum & absque misericordia iudicium subire cogatur.

De Hospitalario.

Cap. XX.

SIcut autem quando communis erat Canonicorum vita, vnus nomine omnium constituebatur

batur qui pauperum & eleemosynarum curā gereret, sic etiam vni ex fratribus hospitalitatis cura committebatur. Sed hæc immutari oportuit, quādo communis conuictus in priuatum est commutatus, vt quæ olim à communitate peti solent, nūc à singularibus communitatis personis exhiberi debeant Cum enim nunc portiones in singulos Canonicos sint distributæ, hoc consecutum est quod eleemosynarū & hospitalitatis officia, quæ olim ex communi massa ab vno omnium nomine præstabantur, nunc singulatim & petantur, & dentur.

Dentur, inquam, aut saltem dari debeant. Væ enim, illis Canonicis, qui ita patrimonium Christi abliguriunt, vt non habeant quod pauperibus, aut hospitibus, in Christi nomine donent.

Et rursus, væ alijs, qui tam sordide possident opes ecclesiasticas, aut potius ab eis possidentur, vt ob auaritiam, qua nihil scelestius est, neque pau- *Eccl.10.* peribus, neq; hospitibus hilari animo quicquam conferant. Regula nostra de hospitalitate hæc verba habet: *Euangelicis atq; Apostolicis instruimur documentis in colligendis hospitibus ante omnia dari debere operam, vt meritò de nobis à Domino dicatur, Hospes fui & collegistis me.* *Cap. 141, in Concil. Aquisgr.* Quomodo etiam sanctissimus pater Benedictus scribit. *Omnes superuenientes hospites tanquam Christus suscipiantur, quia ipse dicturus est: Hospes fui, & suscepistis me. Et omnibus congruus honor exhibeatur, maxime tamen domesticis fidei & peregrinis.* *Cap.35. regula.* *Pauperum & peregrinorum maxime susceptio omni cura*

ni cura solicite exhibeatur, quia in ipsis magis Christus suscipitur.

Nos itaque maiores nostros eminus sectantes, obedientes audiamus Apostoli doctrinam, *Hospitalitatis, & beneficentia, & cõmunionis nolite obliuisci: talibus enim hostijs promeretur Deus.* Et vt pressius eorum vestigia insequamur, videamus quæ fuerit eorum hospitalitas. *Hebr. 13.*

Primùm, hospitalitatem exercebant in domo sua, & in mensa sua, non tantùm erga diuites, quorum tenor ipse, vt Benedictus loquitur, sibi exigit honorem, sed multo magis erga ecclesiasticos, eos potissimum qui in vinea Domini laborabant, & maxime erga pauperes, à quibus retributio nulla expectari poterat. Legimus Imperatores, Reges, summos Põtifices, Episcopos, & alios, magnæ authoritatis, ac sanctitatis, viros, tantam pauperum curam gessisse, vt etiam ad mensam suam eos adhibuerint, & eisdem cibis, quibus se, eos pauerint, iuxta Christi præceptum. *Cum facis prandiũ, voca pauperes, debiles, claudos, & cæcos: & beatus eris quia non habent retribuere tibi: retribuetur autem tibi in resurrectione iustorum.*

Cap. 35.

Petrus Audomarus de hospitalitate c. 4

Lu. 14.

Vt autem vnum, medij temporis, Belgicum proferam exemplum, meminerimus VVazonem Leodiensem episcopum, post annũ Domini millesimum, nondum communi mensa inter Leodienses Canonicos abolita, duodecim pauperibus coram fratribus in refectorio quotidie reficiendis alimenta sufficientia prouidisse, vt in mensa Canonicorum Christus non deesset. VVolffgangus vero, Ratisponensis episcopus, mendicos

Ex chronicis Leodiensium.

Hodie autem hoſpitalari dicuntur quibus cura hoſpitalis commiſſa eſt. Quam adminiſtrationem Concilium Tridentinum vni & eidem perſonæ vltra triennium deinceps committi noluit, niſi aliter in fundatione cautum reperiatur. Multaque alia pro conſeruatione hoſpitalium opportune ſtatuit. *Ibidem.*

In eccleſia Tornacenſi hoſpitalarius pauperum tale profert Iuramentum: *Ego N. inſtitutus Canonicus & procurator hoſpitalis pauperum eccleſiæ beatæ Mariæ Tornacenſis, in eius approbatis conſuetudinibus fidelem me fore promitto. Stabilitati loci & aſsiduitati officij competenter proſequendi me aſtringo. Curam pauperum & infirmorum conuenienter & officioſe gerendam ſuſcipio, ita vt ſi vltra viginti dies, ſine mera Capituli licẽtia, alienarum precum authoritate minime extorta, forte abſens fuero, aut minus conuenienter ſeu negligenter tam in ſeruitio eccleſiæ, quam in miniſterio pauperum me forte habuero, tam præbenda ipſa, quam cura hoſpitalis memet indignum iudico. Nec ipſi Capitulo, nec ei perſonæ, quã in loco meo duxerint ſubrogandam, grauamen, aut moleſtiam, aut calumniam aliquam authoritate qualibet inferre tentabo. Præterea neminem in conuerſum vel conuerſam, niſi per Capitulum, recipiam. Item quemcunque vel quamcunque in conuerſum vel conuerſam recipiam, omnem faciam renunciare proprietati. Singulis etiam annis inter feſtum*

Ioannis baptistæ & Calendas Augusti tenebor computare. Et hæc me fideliter seruaturum in verbo domini asseuero, & proprio iuramento cōfirmo. Sic me Deus iuuet.

De magistris Fabricæ.

Caput XXI.

MAgistri autem Fabricæ, vt eorum mentionem ingeramus, sunt in multis ecclesijs, ecclesiastici & laici. Vnde in Canonicorū ecclesijs duo ferè nominari solent ex dominorum collegio, ad quorum curam pertineat conseruare honorem materialis domus Dei, quo ad reparationem, quo ad luminaria, & reliqua fabricæ onera. De quorum administratione prudenter Patres Concilij Tridentini exigūt omnibus annis rationem reddi Ordinario, aut deputatis, qui, ex consuetudine, aut priuilegio, rationes audire solent, sed adhibito eis Ordinario.

Sess. 23, cap. 9. ref.

Quod si domus Dei per iniurias bellorum, aut per hæreticorum barbaricas incursiones, vastata, prophanata, & incensa, sit, vt pluribus in locis factum esse dolemus, meminisse oportet magistros fabricæ, & omnibus parochianis in memoriam reuocare, quantum iam olim Deo displicuerit neglectus templi typici, qui apud Aggæum clamat. *Quia domus mea deserta est, & vos festinatis vnusquisq; in domū suam, propter hoc probibiti sunt cœli ne darent. rorem & terra probibita est ne daret germen suum: & vocaui siccitatem super terram, & super montes, & super triticum,*

Agg. 1.

& super

& super vinum, & super oleum, & quæcunque profert humus, & super homines, & super iumenta, & super omnem laborem manuum.

De turnario collatore. Caput XXII.

PОrro inter tam varia & multiplicia officia Canonicorum notissimum est in plerisque ecclesijs nomen turnarij, maioribus tamē nostris prorsus inauditum, neque enim ad præbendas, aliaque officia, & beneficia, quando prouisio erat penes Canonicos, nominatio fiebat ab vno Canonico, penes quem ius turni, vt hodie loquimur, erat. Turni enim vocem, atque vsum, posterioribus sæculis introductum, felices nostri maiores ignorarunt, qui communibns suffragijs purissime electionem faciebant.

Verum quia aliud moribus nostrorum temporum receptum est, & inter Canonicos collationum turnus præualuit, id saltem omnium animum, tam turnariorum, quam quorumcunque aliorum collatorum, impressum sit, ne in eis aliquid obtineat Simon, sed manus suas ab omni munere excutiant. Tres enim ait Isidorus munerum acceptiones esse, quibus contra iustitiam humana vanitas militat. Quæ, Gregorium Pontificē insecutus, vocat munera ab obsequio, a manu, & à lingua. *Esa. 33.* *Lib. 3, de summo bono, cap. 58* *Gre. ho. 4. Euang.*

Nec satis est vt ab omni munere alieni simus, vt purissima sit nostra nominatio, sed sciamus oportet, quibus maxime de præbendis & officijs

ſit prouidendum, ne in die iudicij audiamus nos non eccleſijs, ſed perſonis, prouidere voluiſſe. Itaque quæcunque hac in parte à Patribus Tridentinis ſtatuta ſunt, ea in primis omni cum reuerentia acceptemus, & faciamus.

De Theologo Lectore.

Caput XXIII.

Seſſ. 24. reform. cap. 12. PAtres autem illi inter cætera, propter multorum infirmitatem præcipere nolunt, ſed hortantur, vt deinceps, in prouincijs, vbi id commode fieri poteſt, dignitates omnes, & ſaltem dimidia pars Canonicatuum, in cathedralibus eccleſijs, & collegiatis inſignibus conferantur tantum Magiſtris, vel doctoribus, aut etiam Licentiatis, in Theologia, vel Iure Canonico.

Neq; mirum eſt Synodum hoc expetere: multaque collegia, partim hortatu Synodi, & partim voluntario arbitrio, id facere, quod intelligant quantum emolumenti ſana doctrina adferat Rei-publicæ Chriſtianæ: iuxta illud Sapientis, *Sap. 6.* *Multitudo ſapientium ſanitas eſt orbis terrarum.* quodque ſciant quantum Canonicorum collegia per viros doctos exornentur, dicente Daniele, *Dan. 12.* *Qui docti fuerint, fulgebunt quaſi ſplendor firmamenti: & qui ad iuſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuas æternitates.*

Seſſ. 5. Syn. Trid. Cæterum quod ad Lectionem ſacræ Theologiæ, attinet, Patres non tantum exhortationem ſed omnino ſtatutum & decretum fecerũt. Pijs enim ſacroſancta Synodus Ttidentina ſummorum põtificum

tificum & probatorum Conciliorum constitutionibus inhærens, eaque amplectens, & illis adijciēs, ne celestis ille sacrorum librorum thesaurus, quem Spiritus sanctus summa liberalitate hominibus tradidit, neglectus iaceat, statuit & decreuit, quod in Ecclesijs Metropolitanis & Cathedralibus, si ciuitas insignis, vel populosa, ac etiam in colligiatis, existentibus in aliquo insigni oppido, si ibi Clerus numerosus, fuerit, vbi nulla aut non sufficiens præbenda, aut præstimonium, seu aliud quouis nomine nuncupatum stipendium, pro lectore sacræ Theologiæ deputatum reperitur, de Capituli consilio prouideatur, vt ipsa sacræ Scripturæ lectio habeatur.

Innocentius autem tertius, in Concilio generali Lateranensi, voluit Theologum hunc sacerdotes, & alios, in sacra pagina docere, & in his præsertim informare, quæ ad curam animarum spectare noscuntur. *Cap. 11, & lib. 5. Decret. tit. De magistris.*

De ecclesiaste.
Caput XXIIII.

IN eadem Lateranensi synodo annotatum est, inter cætera quæ ad salutem spectant populi Christiani, pabulum verbi Dei, permaxime esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spiritali, cibo nutritur, eo quod non in solo pane viuat, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Vnde cum sæpe contingat quod episcopi propter occupationes multiplices, vel inualetudines corporales, aut hostiles incursus, seu occasiones alias, (ne dicamus defectū scientiæ, quod *Cap. 10. Deut. 8. Matt. 5.*

in eis est reprobandum omnino, nec de cætero tolerandum) per se ipsos non sufficiunt ministrare populo verbum Dei, maxime per amplas diœceses, & diffusas, ibidem statutum est generali constitutione, vt Episcopi viros idoneos, ad sanctæ prædicationis officium salubriter exequendum, assumant, potentes in opere & sermone: & præceptum, tam in cathedralibus, quam in alijs conuentualibus ecclesijs, viros idoneos ordinari, quos episcopi possunt coadiutores & cooperatores habere in prædicationis officio, & in cæteris, quæ ad salutem pertinent animarum.

Hinc fit vt in multis ecclesijs cathedralibus & in collegiatis non cathedralibus, siue vt Lateranẽses Patres loquuntur, in alijs conuentualibus ecclesijs, insignis aliquis verbi Dei sit ecclesiastes, aut Episcopi, aut cleri authoritate, institutus, vel etiã plebis & magistratus catholici efflagitatione postulatus, & ab ecclesiastica potestate admissus.

✠ Sane in Tornacensi cathedrali ecclesia non satis est reuerendissimo antistiti sacras conciones ad plebem Gallice fieri, sed quia multi Flandri, propter mercimonia eo confluunt, vni Theologo docto & eloquenti vnam ex præbendis suæ ecclesiæ dare consueuit, sub onere vt Flãdricè verbum Dei populo prædicet.

De Catechista.

Caput XXV.

A Munere autem sacrarum concionum, non multum distat Catechesis, quamquam latius pateat Ecclesiastæ, restrictius vero sit

Catechistę

Catechistæ officium. Ecclesiastes enim, veluti ecclesiasticus Rhetor, docet quæcunque ad fidem, & bonos mores, pertinent, & ad obediētiam mouet affectus. Eadem quoque agit Catechistes, sed summarie tantum, & pro capacitate rudium. Imo aliquando interrogando discipulos, & eorum responsa efflagitando, magis docentis, quam concionantis, munus, magna cum vtilitate, obit. Id enim in Dominicalibus scholis, aut potius in publica catechesi Dominicalium scholarum, nonnulli Pastores & sacerdotes, sedulo obseruant, multamq; vtilitatem inde discipulos referre, vsu didicerunt.

Et quidem vsitatissima fuit in Ecclesia Dei, etiam ab ipsis Apostolorum temporibus, catechizandi ratio. Verum cum posterioribus istis temporibus, quando propter multitudinem falsæ doctrinæ, & bonorum morum corruptelam, maxime necessaria videbatur, plurimum collapsa esset; hæreticorum vigilantia excitauit catholicos, vt resumerent catechesin, aliquandiu neglectam. Illi enim editis breuibus libellis, qui catechismi dicũtur, à multis annis omnia impietatis studia fouerunt, disseminarunt, & propagarunt: & cum instinctu Sathanæ, ipsoque vsu, discerent libellos istiusmodi non parum virium ad religionem euertendam habere, studiosissime ad earum lectionem & prælectionem, imperitam & mobilem iuuentutem pellexerunt, scientes ex horum libellorum lectione, atq; doctrina, venenum, dulcedine blãdum, simplicibus & incautis præberi, priusquam id sentiant, eorumque animos pestiferis opinionibus, quas euelli postea sit difficillimum, deprauari.

Cum itaque catholici Principes animaduerterent Catechismos illos, qui per corruptæ doctrinæ magistros in scholis puerorum sparguntur, leguntur, proponuntur, discipulorum manibus teruntur, & memoriæ inprimuntur, per quos fœda lues in Re-publica grassatur, omni diligentia damnandos, semouendos, & abolendos, esse; eorumque loco necessariam esse Catechisticum in sana doctrina librum; Ferdinandus, Augustus Romanorum rex, conscribi curauit Catholicum catechismum, summam doctrinæ Christianæ complectentem, à Petro Canisio, Belga, excellentissimo Societatis IESV Theologo: & hunc, nullumque alium, in prouincijs suis Austriacis, & Comitatu Coritiæ, per ludimagistros, præceptores, ac pædagogos, pueris in scholis, publice, ac priuatim, proponi, prælegi, ediscendumque tradi, curauit.

Quod Christianissimi Principis institutũ, cũ tam sanctum esset, vt externa nulla cõmendatione egeret, mox omnibus Christianis valde placuit. In nostra catholica & alma Vniuersitate Louaniẽsi statim assumpti sunt in omnibus pædagogijs, hoc est, in ijs scholis vbi grammaticalia & philosophica docentur, celebres Theologi, qui studiosos Dominicis & festis diebus in catechistica doctrina instruerent. Editumque Ferdinandi auctoritate Catechismum suo etiam edicto Philippus Austriacus, Catholicus Hispaniarũ rex, & Belgarum princeps, publicauit.

Solicitauit quoque apud Romanam Sedem, vt vna ex præbendis, iuris sui patronatus, in ecclesia Louaniẽsi, incorporaretur collegio Doctorum sacræ Theologiæ, pro professione publica cate-

chismi

chiſmi in ſcholis Theologicis. Iudicauit enim optimus rex, expedire rei-publicæ Chriſtianę, vt non modo ſint catechiſtæ, qui doceant rudes diſcipulos, ſed etiam in celebribus Vniuerſitatibus, (quod ab eo inter Belgas Louanij & Duaci eſt effectum,) neceſſarium eſſe catechiſtam, celebris nominis in ſcholis Theologicis profeſſorem, à quo non rudes diſcipuli, ſed futuri Paſtores, alijq; viri docti, qui in ſacris ſtudijs occupantur, diſcant quales debeāt eſſe in catechizando magiſtri. In ſcholis puerilibus docentur pueri, in ſcholis Theologicis firmantur magiſtri.

Ita iam olim in Alexandria à Marco Euangeliſta ſemper fuerunt eccleſiaſtici doctores, in quibus multi ab Euſebio & Hieronymo celebrantur, qui in illa eccleſiaſtica ſchola κατηχήσεως magiſtri præfuerunt. Inter quos eſt Pantænus, tantæ eruditionis vt in Indiam quoque rogatus ab illius gentis legatis, à Demetrio epiſcopo mitteretur. Succeſſit ei Clemens Alexandrinus. Succeſſit Clementi Origenes Adamantius, qui diſperſa eccleſia decimo octauo ætatis ſuæ anno catecheſeon opus aggreſſus: poſtea è Demetrio, eius vrbis epiſcopo in locum Clementis confirmatus, per multos annos floruit, vndequaque ad eius ſcholam ex Græcia, Aſia, Thracia, Syria, totoq; Oriente, innumeris diſcipulis confluentibus. Quo onere accreſcente, collegam ſibi adiunxit Heraclam, cui, cum Cæſaream abiret, totum ſcholæ onus impoſuit. Meminit Africanus vir celeberrimus ſe Alexandriam propter incredibilem Heraclæ famam, quæ vbiq; manauerat, iter feciſſe. Cum autem ad epiſcopatū illius eccleſiæ adminiſtrandum delectus eſſet, ſucceſſit Dionyſius in ſchola inſtitutionis, vnus item

Euſ. lib. 5. & 6. hiſt. Hier. in catalogo.

ex Origenis discipulis, postea quoque ipsius Heraclæ in episcopatu successor. Proximus in historia ecclesiastica celebratur Achillas, qui scholę sacratę Christi fidei instituendę pręfectus cœpit hominũ fama celebrari. Collaborauit cum eo Pierius tanta elegantia vt Origenes iunior vocaretur. His accedat Didymus, à parua ætate oculis captus, cuius fama multi commoti Alexandriam aduentarunt, partim eum audituri, partim dũtaxat visuri. Arianis autem dum doctrinam Concilij Niceni constanter tueretur, non parum exhibuit molestiæ. Et hactenus de institionum schola Alexandrina.

Sed fuerunt & alibi scholæ. Refert enim Clemens se doctores audiuisse in Græcia, in magna Græcia, in Cælesyria, in Palæstina, ac tandem in Ægypto, vbi Pantænum reperit omnibus prępo-nendum, apud quem conquieuit. Origenes verò cum ob bellum Alexandriâ profugiens, scholam institutionis quæ erat ad illius loci habitatores in fidei principijs informandos ædificata, Hæraclæ reliquisset, consueta disciplinæ munera apud Cæsarienses exequitur, quo non solum multi ab indigenis, sed ab exteris etiam regionibus pæne infiniti discipuli patria sua relicta aduentarunt. Extant vero Cyrilli Hierosolymorũ episcopi Catecheses, quas, Hieronymo teste, in adolescẽtia composuit.

Hæc antiquissima & sanctissima exempla Catholica Maiestatis insequens, catechesis magisteriũ in publicis scholis renouauit, pientissime sacro Concilio Tridentino cooperans, quod ab omnibus Parochis exigit vt pro populi captu catechesin explicent. Idque Pastores nostrates, per priorem concionis partem diligenter & fructuose faciunt.

Sess. 24, c. 7. ref.

Quam-

Quamquam vero extra Vniuersitates nullam sciam præbendam Catechistæ affectam esse, meminerint tamen Theologi ad præbendas vocati, vt talentum sibi concreditum non sepeliant in sudario: meminerint se Canonicos esse tam in cõuentualibus (quomodo magni Concilij Lateranensis Patres loquuntur) quam in cathedralibus ecclesijs, vt Episcopis cooperentur in his quæ ad animarum curam pertinent. Opto proinde, si vtilitas suadeat, & eos Episcopi auctoritas efflagitet, populum in sacris concionibus docere, aut catechizare, aut clericorum seminarium in catechesi instruere, ne in tam sancta functione operã suam atque officium Ecclesiæ Christi denegent: memores semper verbi Iesu, *Amas me? pasce oues meas, pasce agnos meos.* *Io. vlt.*

De censore librorum.
Caput XXVI.

EOdem tempore Catholica Maiestas aliam in dicta diui oppidi Petri Louaniensis sui patronatus præbendam, per Pontificis maximi authoritatem, affecit onere Censoris, volens eam deinceps, per se, & suos successores, dari vni in Theologia magistro seu Licentiato, studij Louaniensis, qui librorum in Germania inferiori visitãdorum curam perpetuò haberet. Falluntur autem nonnulli, qui putant ab hoc Censore tantum censendum esse an in libris nihil sit hæreticũ, cum eum omnino sequi oporteat eas regulas quas Censores Concilij Tridentini Indici librorum prohibitorũ & sanctissime, & prudentissime, præmiserunt.

Quia

Quia autem per paucos censores huic malo vbicunque occurri non potest, (cui tamen maxime occurrendum est, eo quód librorum ab hæreticis editorum lectio non modo simpliciores homines corrumpat, verum sæpe ètiam doctos, eruditosque, in varios errores, & à veritate fidei catholicæ alienas opiniones, inducat,) curandum est ab Episcopis, vt è clero suo viros graues per suas diœceses deputent, qui cũ eis summa cura aduigilent, ne vlli libri cõtra Tridentinas regulas vspiam imprimantur, vendantur, aut habeantur. Qua de re fortaßis mihi latior aliquando erit dicendi scribendique occasio, quod ex Dei clementia, & Regiæ Maiestatis dignatione, censoris nomen & officium in ecclesia Louaniensi obtineam: atque in hac functione nonnulla aliquando occurrant, de quibus Christianis viris publico scripto rationem reddere non inconsultum videbitur.

De Iuris-peritis.

Caput XXVII.

Sicut autem pro Theologis diuersæ sunt in Canonicorum collegijs præbendæ, certis oneribus affectæ, aliæ non quidem affectæ, sed quæ partim vltronea voluntate, & partim Episcopo requirente, coniunctis oneribus grauantur: ita etiam Iurisperiti, qui in clero sunt, multas inueniunt sanctas occupationes, in quibus Deo, & Ecclesiæ eius, magno cum fructu, obsequium, officiumque, præstare poßint. Dum hic est Episcopi vicarius generalis, ille Officialis: alij, Consiliarij, assessores, iudices, visitatores, examinatores: alij, Cano-

Canonum & Canonicæ vitæ interpretes atque custodes: alij, iuris ecclesiæ defensores: alij, pauperum & viduarum & omnium afflictorum, exemplo sancti Iuonis, adiutores, aduocati atque patroni. Quis enim non intelligit, quantum hæc atque similia sancta officia, Dei ecclesiam exornent, eisque, qui ea præstant, immarcessibilem gloriæ coronam præparent?

De Medicis.

Caput XXVIII.

EST & Medicis, in quibusdam Canonicorum collegijs suus honor. Louanij duas habent præbendas secūdæ fundationis, publicæ professioni addictas Cameraci vna præbenda est pro confratre, medico Collegij Canonicorum. Sed & Romani Pontifices Nominationis priuilegium, quo Louaniensem Vniuersitatem plurimum exornarunt, Medicis quoque annuerunt. Et celebres quædam ecclesiæ, quæ ignobiles ad præbendas recipere recusant, cum nobilibus computant, Baccalaureos in sacra Theologia, Licentiatos Iuris, Canonici, vel vtriusque, & Doctores in Medicinis rigore examinis in famosa Vniuersitate admissos.

Volunt autem quidam Medicum sacerdotem abstinere à medendo, cum non nisi cum vitæ hominis periculo possit hæc ars, vt aiunt, exerceri, in qua si temeritas, vel imperitia, non facit homicidium, casus faciet, ita vt vix puræ possint esse Medici manus. Alij quædam duriora, & se indigna, contra Medicos euomunt. *Io. Quint. theduus de benef. ecclesiasticis*

Sed

Sed ego quam maxime eos aberrare non dubito, qui à sapientissimi Ecclesiastici sententia dissentiunt, dicentis, *Honora medicum propter necessitatem: etenim illum creauit Altissimus. A Deo enim omnes medela, & à Rege accipiet donationem. Disciplina Medici exaltabit caput illius, & in conspectu magnatorum collaudabitur. Altissimus creauit de terra medicinam*, siue, vt Græce est, pharmaca. Scientia hæc diuina est, quod à Deo data sit, & quia medendo vitam datam tueri, iamque fugientem retinere, valde accedit ad vitæ donationem, quam Deo soli peculiarem esse agnoscimus. Quid quod Medici non tantum corpori, sed & animæ, iuxta præscriptum Consilij Lateranensis, libenter consulant.

Eccl. 38.

Can. 22.

Longe proinde aberrant qui eos doctos & pios ab honore præbendarum arceri volunt, cum illi tanto magis agnoscant sese deuinctos esse vt arte, sibi à Deo donata, iuuent monasteria, & pauperes, quanto plura ex patrimonio Christi percipiunt, & in clero Dei sunt honoratiores.

De medico monacho Bern. epi. 67, 68

Nam quod velint eos propter periculum irregularitatis nec ad ordines sacros promoueri, nec promotos in eis ministrare, posse, ij mihi nimium scrupulosi & anxij videntur, si modo de peritis medicis agamus, qui sibi conscij non sint quod vnquam aliquid cõtra Hippocraticum, aut quodcunque aliud, suæ professionis iuramentum, egerint. Arbitrantur enim viri docti phijsicum & chirurgum citra dispensationem promoueri posse, licet quidã sub eo incurrerint periculum mortis,

tis, modo conſcientia eũ non remordeat. Eo quod ad Cremonenſem Canonicum ſcripſerit Clemẽs tertius, *Ad aures noſtras te ſignificante peruenit, quod cum in arte phyſica eruditus ſis, pluribus iuxta ipſius artis traditionem exhibuiſti cum diligentia medicinam, licet plures in contrarium ſucceſſerit, & quibus putabas adhibere medelam, medicinis præceptis, mortis periculum incurrerunt. Verum quia ad ſacros ordines deſideras promoueri, ſuper eo nos conſulere voluiſti. Tibi breuiter reſpondeo, quòd ſi ſuper præmiſſis conſcientia tua te remordeat, ad maiores ordines de noſtro conſilio non aſcendas.* *Lib. 1. Decret. tit. 14. De ætate.*

Cæterum quamuis non putem in viris doctis & expertis irregularitatem facile locum habere, quia tamen abundans cautela non nocet, & piarum mentium eſt ibi culpam metuere, vbi culpa non eſt: & quia difficile eſt eis, frequenter interpellatis, poſt præsbyterium ab omni praxi, prout Ius Canonicum exigere videtur, abſtinere, hinc conſuetudine receptum eſt, vt omnes ſacerdotes, quãtumcunque doctiſſimi, ſeſe humiliando diſpenſationem petant.

In qua annuenda quam ſint Romani Pontifices faciles, & Rei-publicæ Chriſtianæ commodi, recentibus & vetuſtis exemplis docere non eſt difficile, cum vtraque nobis, eaque illuſtria Louanienſis noſtra Academia ſuppeditet.

Et in ipſis noſtræ Vniuerſitatis initijs Martinus quint⁹ cõceſſit, vt ſacerdotes poſſunt in phyſica ſeu medicina (quod Canonica interdicunt inſtitura) legere

legere, studere, disputare, & alios actus scholasticos exercere, ac magisterij insignia accipere, Honorij, generalis Concilij, & quibusuis alijs constitutionibus Apostolicis, non obstantibus.

Porro Pontifex cum dispensat vt absque conscientiæ scrupulo, & irregularitatis incursu, medeantur, meritò propter crudelitatem excipit adiustionem & incisionem per seipsum.

Vide Cap. Tua nos, De homicidio volunta.

Monet etiã vt pauperibus gratis & amore Dei medicinam faciant. Hîc enim meminisse oportet prębyterorum causam, eo quod ad Dei seruitium trãsierint, longe disparem esse à caussa sæculariũ. Quare præ alijs meditentur illud Apostoli, magnum quæstum esse pietatem cum sufficientia.

1 Tim. 6.

De nobilibus.

Caput XXIX.

A Doctis viris ad nobiles & generosos dominos transeamus, qui in nonnullis potentibus ecclesijs intantum inualuerũt, vt nullos alios confratres admittunt. Contra quos Guilhelmus Peraldus, Lugdunensis episcopus, prolixè scribit in Sũma vitiorũ, acriter reprehendens consuetudinem illarũ ecclesiarũ quæ nolunt canonicare, vt loquitur nisi nobiles. Fuit aũt anno 1269. solicitatũ, vt apud Paradinum videre licet, vt in canonia Lugdunensi filij ciuium & alij, ignobiles reciperentur. Sed res ea turbas peperit, neque vlla emendatio est subsecuta. Quare toleranda est ista consuetudo, vbi & inualuit, & propter nobilium

De superbia, ca 30.

Histoire de Lyon. l. & chap. 101.

lium potentiam videtur corrigi non posse, sed tamen habenda est ratio; vt illi demum nobiles ad prębendas admittantur, qui nobilitatem etiam ex virtute consecuti sunt. Nam si tantum ex genere & maiorum progenie nobiles sint, & eruditio ac pietas desint, monstra erunt, & pestes in ecclesia, ac inani & futuli titulo nobiles. Vere enim Boëthius, vir illustris, de generis nobilitate agens, scribit: *Quam sit inane, quam futile, nobilitatis nomen, quis non videat? quæ si ad claritudinem referatur, aliena est. Videtur namque esse nobilitas, quædam de meritis veniens laus parentum. Quod si claritudinem prædicatio facit, illi sint clari necesse est, qui prædicantur. Quare splendidum te, si tuam non habes, aliena claritudo non efficit. Quod si quid est in nobilitate bonum, id esse arbitror solum, vt imposita nobilibus necessitudo videatur, ne à maiorum virtute degenerent.*

Lib 3. de consolatione philosophiæ, prosa 6.

Reprehendenda igitur, & reformanda, sunt collegia, in quibus, postposito de pietate & eruditione examine, hoc solum diligentissime discutitur, an nominatus sit satis nobilis qui admittatur, an stemma eius nusquam deficiat, an tot recensere possit proximos suos parentes aut barones, aut comites, an habeat omnia sua quarteria, vt loquũtur, integra, & similia, quę nec recensere valeo, nec commemorari necesse est.

Laudandæ verò sunt Leodiensis ecclesia, & consimiles, quæ tantum deferũt erudtis viris honorẽ, vt eos velint baronibus, Comitibus, & alijs generosis nobilibus, quo ad prębendas & Canonicatus pares esse.

Immo, quia in sanctæ Leodiensis ecclesiæ mentionem incidi, plusquam memorabile est, vno eodemque tempore, cum Innocentius secundus, presente Bernardo abbate, Leodium ingrederetur, resedisse in clero diui Lamberti, Regum, filios nouem: Ducum, quatuordecim. Comitum, triginta, inferiorum nobilium, septem Canonicos, omnes numero sexaginta. Ex quibus non pauci erant sacræ Theologiæ, Decretorum, aut Legum Doctores, vt in illorum enumeratione in ecclesia Leodiensi & alibi, videre licet. Hi autem à suo collegio non excludebant viros doctos, ignobilibus parentibus natos, sed longe magis in eis claram eruditionem, & magisterij officium, quam in seipsis nobilitatem, honorabant, Quales tunc temporis fuerint dictæ ecclesię magistri, testatur Petrus Cluniacensis abbas, ad Alberonē episcopum scribens, *Quando Leodiensis ecclesiæ memoria apud Cluniacum perire poterit, quæ Hezelonem, Tezelinum, Algerum, Canonicos, magnosque suo tempore magistros, humilitatis discipulos, & vt ipsi, qui vidimus, attestamur, veros monachos, fecit?*

In tabula renouata. anno 1556.

Lib. 4, epi. 53.

Cum autem tam illustris & spectabilis sit Leodiensis ecclesiæ clerus, non mirum est ipsam ciuitatem vulgari prouerbio dictam esse paradisum presbyterorum.

Apud Guicciardinum.

Porro cum Paulus quartus, solicitante Philippo ab Austria, Catholico Hispaniarum rege, in Belgio nouas constitueret ecclesias cathedrales, in singulis ecclesijs nouem primas præbendas dari voluit, tribus Theologis, totidem Iurisperitis, & totidem nobilibus, qui peculiariter, præ reliquis, in omni-

in omnibus difficultatibus & oneribus, Episcopo suo, libenter, & prompte, assisterent. Natæ sunt inde mox controuersiæ, an nobiles illi, graduati esse debeant, vt Theologi, & Iurisperiti: an quoscunque nobiles liceat accipere, an vero nobiles tātum illius diœcesis. Denique, dum nulli nobiles præbendas petunt, an alijs sint conferendæ. Ad quæ omnia memini ab Apostolica Sede responsum esse;

Primum, requiri nobiles graduatos? Cum enim hoc infœlici seculo nobiles, præpostero iudicio, gradus & titulos eruditionis, veluti suæ nobilitati indecoros, & iniuriosos, contemnere soleant, prudenter supremo Pastori ecclesiæ visum est, vt qui nobilitatis titulo præbendas expetunt, incapaces sint, nisi etiam titulum publicum eruditionis suæ attulerint. Quod ipsum rigide etiam obseruari voluit in nominatione ad Episcopatus.

Deinde voluit non quosuis nobiles graduatos ad præbendas cathedrales promoueri, sed nobiles ipsius diœcesis. Quod enim ad ministerium ecclesiæ vocentur, & inuitentur, hoc fit vt non solum per eruditionem, & pietatem, sed per nobilitatem quoque suam, ecclesiam Dei iuuent. Cum enim nobiles sæculares gladium portēt, & per suam potētiam possint Ecclesiæ Dei, & viris Ecclesiasticis, multum obesse, multumque prodesse, valde expedit ex eorum familijs in clero aliquos esse, vt eorū fauor, obsequium, & reuerentia, erga Ecclesiam & Ecclesiasticos, magis foueatur, & conseruetur. Immo dum in clero sunt nobiles, libenter nobiles viri, & illustres principes, eò filios suos

destinant, vt nobilitati stemmatis nobilitatem addant morum, animū liberalibus & honestis studijs excolant, & à teneris annis reuerentiam Ecclesiastici ordinis imbibant.

Nobiles proinde Canonici semper meminerint, sui officij atque suæ vocationis esse, vt nobiles sæculares, apud quos propter carnis & sanguinis nobilitatem, plerumque præ reliquis Canonicis gratiores & maioris authoritatis sunt, adhortentur, & doceāt, Deum & ecclesiam ab eis requirere, vt veluti nutritij ecclesiæ Christi, primo & ante omnia tueantur honorem Dei, fidem catholicam, pacem Christianorum, pietatem & bonos mores, ecclesiam, viros ecclesiasticos, & monasticos, eorumque priuilegia, & immunitates. Et vt filios suos à teneris annis sic institui curent, vt simul cū pietate obseruantiam sacerdotij, & cleri, imbibāt. Ex quo facile intelligitur cur conueniat patrios nobiles exteris præferre, quod hi plus apud nobilitatem patriæ & diœcesis, quam exteri nobiles, præstare possint.

Et quia valde expedit nobilium filios ad studia & ecclesiasticos honores attrahere, hinc Romanus Pontifex, consultus à Buscoducensi episcopo, an præbendam, nobilibus graduatis affectam, cum nullus sese tota diœcesi offerat, vacantem, alteri conferre possit, rescripsit vacationem continuandam esse, vt per eam nobiles adolescentes territorij Buscoducēsis, magis ad Ecclesiastica studia instigentur.

De Canonicis Subdiaconalibus, Diaconalibus, & Presbyteralibus.
Caput XXX.

Sunt

SVnt etiam præbendæ in quibusdam locis, aut ex prima fundatione; aut ex posteriori constitutione, obligatæ ad Subdiaconatum, Diaconatum, aut Presbyterium. De quibus hoc loco ex Concilio Tridentino notandum est: *Neminem deinceps* Capitula *ad dignitatem, Canonicatum, aut portionem recipiant, nisi qui eo Ordine sacro sit initiatus, quem illa dignitas, præbenda, aut portio, requirit: aut in tali ætate vt infra tempus, à iure, & ab hac sancta Synodo statutum, initiari valeat. In omnibus vero ecclesijs cathedralibus omnes Canonicatus ac portiones habeant annexum Ordinem Presbyterij, Diaconatus, vel Subdiaconatus. Episcopus autem cum consilio Capituli designet ac distribuat, prout viderit expedire, quibus quisque Ordo ex sacris annexus in posterum esse debeat: ita tamen vt dimidia saltem pars Presbyteri sint; cæteri vero Diaconi, aut Subdiaconi. Vbi vero consuetudo laudabiliter habet, vt plures vel omnes sint Presbyteri, omnino obseruetur.* *Seß. 24, c. 12 refor.*

Et iterum. *Quicunque in cathedrali vel collegiata, sæculari vel regulari ecclesia, diuinis mancipatus officijs, in Subdiaconatus Ordine saltem constitutus non sit, vocem in huiusmodi ecclesijs in Capitulo non habeat, etiam si hoc ipsi ab alijs libere fuerit concessum. Ii vero, qui dignitates, personatus, officia, præbendas, portiones, ac qualibet alia beneficia, in dictis ecclesijs obtinent, aut in po-*

ſterum obtinebunt, quibus onera varia ſunt annexa, videlicet vt alij Miſſas, alij Euangelium, alij Epiſtolas dicant, ſeu cantent, quocunque ij priuilegio, exemptione, prærogatiua, generis nobilitate ſint inſigniti, teneantur iuſto impedimento ceſſante, infra annum Ordines ſuſcipere requiſitos: alioquin pœnas incurrent iuxta conſtitutionem Concilij Viennenſis, quæ incipit, Vt ij, qui: quam præſenti decreto innouat: cogantque Epiſcopi eos diebus ſtatutis dictos Ordines per ſe ipſos exercere, ac cætera omnia officia quæ debent, in cultu diuino præſtare, ſub ijſdem, & alijs, etiam grauioribus, pœnis, arbitrio eorum imponendis. Nec alijs in poſterũ fiat prouiſio, niſi ijs, qui iam ætatem & cæteras habilitates integre habere agnoſcantur: aliter irrita ſit prouiſio.

In Clem. De ætate & qual. Ord.

De alijs officijs.

Caput XXXI.

HActenus varia officia, in quibus Canonicorum collegia in Belgio noſtro ſeſe ſanctè occupant, attigi, & explicui. Quamquam & alia nonnulla inueniri poſſint, quæ pro ratione locorum & temporum, Canonicis imponantur. Exempli gratia, in clero Louanienſi, propter academiam, Præpoſitus, aut, eo abſente, Decanus, eſt in bulla erectæ academiæ nominatus Cancellarius ſtudij. In eadem eccleſia vidimus à Romano Pon-

no Pontifice nominatos aliquot generales Inquisitores fidei: in alijs ecclesijs nostratibus vix vllos, sed fere Subinquisitores à generalibus inquisitoribus suam commissionem habentes. Agnouimus in eadem Louaniensi ecclesia ex parte Episcopi, primum Leodiensis, deinde Mechliniensis, Officiales, vicarios, & sigilliferos; & ex parte Vniuersitatis Conseruatorem priuilegiorum. In ditione Traiectensi, quinque collegia Canonicorum sunt Status & Ordines Ecclesiastici, totum corpus ecclesiasticum, per suos commissarios in publicis conuentibus, & solennibus concilijs, repræsentantes. Sed non est nostri instituti, hic aut recensere, aut explicare, vniuersa officia, quæ Canonicis imponuntur, cum quædam ex illis magis sint accessoria, quam ad Canonicam eorum functionem, pertineant. Et ex Alexandri Capitulo Significatum, in titulo De præbendis, quod scripsit Præposito & Capitulo Insulensi, qui præbendam contulerant vni, sub onere vt quotidie Missam de sancta Maria celebraret, ex dicto inquam Capitulo videtur, posse prælatum, & Capitulum, vacanti præbendæ honestum onus imponere, ad quod præbendarius teneatur, accedente potissimum cõfirmatione Pontificis. Quare id breuiter, ijs quæ de Canonicorum officijs, dicta sunt, adiecisse suffecerit, Canonicam functionem postulare, vt talentum nobis concreditum non sepeliamus, sed secundum donationem nobis datam, Deo & ecclesiæ eius, officiosi & irreprehẽsibiles, seruiamus.

Lib. 3. Decretalium titulo 5.

De Chorepiscopo Traiectensi.

Caput XXXII.

VErum Traiectensis sancti Martini ecclesia, in qua est Chorepiscopi dignitas, quæ superiorum sæculorū Canonibus damnata, & abolita, esse videtur, postulat vt hoc munus quale in Traiectensi ecclesia sit explicemus.

In primis in Concilij Constantiensis actis legi Petrum de Mera, choriepiscopum Traiectensem: & ex actis Vniuersitatis Louaniensis constat anno 1435 in magnificum almæ Vniuersitatis Rectorem, via Spiritus sancti, electum esse, Heinricum Scatter, artium & Medicinę Doctorem, chorepiscopum Traiectensem. Memini me etiam ad portatilem tumbam sancti Eobani Traiecti legisse, *Corpus sancti Eobani martyris, chorepiscopi huius ecclesiæ.*

Sess. 15.

Sed ego chorepiscopum eum fuisse alibi non legi, nec in eam sententiam facile adducar, cum Vsuardus, Beda, & alij, eum coepiscopum vocent, & sanctus Bonifacius legitur, eum Traiecti episcopum instituisse, vt suæ senectuti aliquod pararet leuamentum. Talis etiam coepiscopus erat sanctus Suuitbertus. Cum enim Bonifacius Germanorum esset Apostolus, & totus in Barbaricarum gentium conuersionem incumberet, multis egebat coëpiscopis, quos ipse, pro ministerio sibi concredito, pro ut necessarij videbantur, ordinabat. Facile autem à quibusdam in clero Traiectensi, vbi chorepiscopi dignitas existit, erratum est, qui eum suæ ecclesiæ choriepiscopum esse dixerunt, quod non intellexerint, veros inter Belgas fuisse multos Episcopos, qui absque vllo titulo episcopatus ordinabantur, vt gentiles conuerterent. Qua de re aliquoties à me actum est, cum de Natalibus Sanctorum Belgij scribenti, frequenter eius tractationis

In Martirol. Nonis Iunij.
Lib. 2 vitæ S. Bonifacij.

tionis

tionis opportunitas sese offerret. Itaque chorepiscopum eum fuisse arbitrati sunt, eo quod chorepiscopi aliquando in choris, hoc est, in agris, regiunculis, & pagis, vnde nomen acceperunt, episcoporum munera obire attentarint, aut propria præsumptione, cum non aliud quam presbyteri essent, aut ex audaci quorūdam episcoporum eos consecrantium temeritate, qui vicarios episcopos quærebant, vt ipsi mollius viuerent, imitantes, vt Damasus Pontifex notat, mulieres meretrices, quę voluptatis caussa, infantes suos alijs nutricibus tradunt educandos. Hi autem chorepiscopi, cum de summo ministerio aliquid pręsumerēt, quod omni authoritate carebat, & sacris canonibus contrarium erat, atque ad totius ecclesię perturbationem tendebat; tam ab hac sancta Sede, ait Damasus, quam & ab omnibus totius orbis Episcopis, à Pōtificalibus sunt remoti officijs. Quis igitur credat, post sępe damnatam Pontificalem chorepiscoporum præsumptionem, Bonifacium Germaniæ Apostolum, ad sui iam senis subleuationem, Eobanum, vt Episcopalia exerceret munia cōtra Canones & decreta Pontificum, constituisse & ordinasse Chorepiscopum? Nō id dicamus, quod omni ratione caret.

Epistola de Chorepiscopis.

Dam. ibidem.

Erroris quidem eorum scaturiginem aduerto. Quia enim coepiscopus dicitur fuisse, imaginati sunt eum non fuisse episcopum. Ex quo sibi persuaserunt chorepiscopum fuisse, cum nulli alij eis apud veteres occurrerent, qui Episcopos in Pontificalibus iuuerint. Sed hæc quam sint futulia, & à veritate aliena, facile ex his quæ dicta sunt, animaduertere licet.

sed

Sed quæritur, si chorepiscopi iam olim frequẽter damnati sint, vnde chorepiscopus nunc sit in Traiectẽsi ecclesia? Nam Petrum de Mera & Heinricum Scatter, quorum meminimus, negari non potest chorepiscopos eius ecclesiæ fuisse, aliosque eis in hac dignitate successisse. Hic igitur meminisse oportet, non vbique chorepiscoporum nomẽ, & officium, extinctum esse, etsi vbiq; damnatum sit, quod metas sui officij excederẽt. Id notum est ex vigesimo septimo capite Parisiensis concilij, quod Ludouico & Lothario Imperatoribus habitum est, cuius inscriptio est, *Vt Chorepiscopi modum mensuræ suæ, qui in sacris canonibus præfixus est, non eccedant.* Notum est etiam ex epistola Leonis magni, quam de chorepiscopis scripsit, ad vniuersos Germaniæ, & Galliæ, Episcopos. In qua non damnantur, sed acerrime admonentur, ne arripere præsumant, quæ Ecclesiasticis regulis principibus sacerdotum reseruatur. Dicti enim sunt chorepiscopi, hoc est, certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores. Quare nomen eorum, & officium, remanere potuit. Et initio quidem in honore fuerunt propter solicitudinem, & studiũ, quod erga pauperes exhibebant: vt ex Concilio Neocesariensi, & ex Damasi epistola, discere licet. Sed extincto hoc studio, non mirum est vbique fere chorepiscopi quoque nomen extinctum esse.

Paris. concilium libro 1.

Epist. 88.

Can 13.

Dana. epist. 4.

Remansit tamen hoc nomen Vltraiecti penes primum Subdiaconorum, siue penes Archihypodiaconum: quem Antisiodorensis Synodus Archisubdiaconum vocat, sed nullam habet ille præ alijs pauperum curam, verũ ad eum spectat officiũ archi-

Can. 16.

archipresbyterij, seu Decanatus curalis. Vnde in prima sessione Basiliensis Synodi, quæ anno 1431 celebrata est, Henricus Scatter, (pro quo ibi mendose Stater legitur) non chorepiscopus, vt in Actis Vniuersitatis ad annum 1435, sed Decanus Traiectensis, nuncupatur, Quod intelligendum est non de chori Decano, sed de Decano rurali, aut de primo inter Decanos rurales, quem Leodij Decanum decanorum vocant. Is autem olim videtur, cum nonnullis merito chorepiscopi nomen parum placeret, humiliori vocabulo dictus esse Subdiaconus. Neque enim alium per Subdiaconum quam huiuscemodi Decanum intelligere possum, quando Innocentius tertius, in titulo De clerico excommunicato, scribit Decano & Subdiacono Pictauensi; in titulo De his quæ vi metusue causa fiunt, Decano & Subdiacono Linconensi: & Honorius tertius in titulo De sententia excommunicationis, Decano & Subdiacono Arelatensi. *sub finem.* *Cap. 8.*

Huc quoque pertinet quod in synodo Augustana, quæ anno 1548 celebrata est legitur: Quos Græci Chorepiscopos, hoc est, certarum regiuncularum in qualibet diœcesi speculatores, alij archidiaconos, alij archipresbyteros vocant, in nostra ecclesia cathedrali, Archidiaconi: in reliqua vero diœcesi Decanorum ruralium nomine censentur.

Porro Coloniæ in omnibus collegiatis ecclesijs, Chorepiscopus est primus Cantorũ, qui etiam in cathedrali ecclesia cum Cantore officiũ faciens, in solennitatibus, baculo vtitur episcopali.

De alijs quibusdam Canonicorum dignitatibus.
Caput XXXIII.

Fuerun

FVerunt & sunt aliæ quoque dignitates in quibusdam ecclesijs. Qualis est Prioratus. Scribit enim Innocẽtius tertius titulo De clerico excommunicato, Decano & Priori Coloniensi, & Godebaldus episcopus Traiectensis, iuxta commune consilium Prioratus mei; item, Vnanimi assensu Prioratus.

Habent etiam ecclesiæ quædam magnificæ suos Cancellarios, Cancellarium maiorem, Comites ecclesiæ, Vicarios generales substitutos, Canonicos ordinarios & obedientiarios, ac alia dignitatum officia. De quibus, quia rariores sunt, & mihi minus notæ, nihil in præsentiarum dico.

Sed & Græci suas habuerunt in clero dignitates non paucas, cũ constet ad cathedram ecclesiæ Constantinopolitanæ assumptos esse eiusdem magnæ ecclesiæ vasorum custodes chartarum custodes, syncellos, sacellarios, œconomos, curatores alendis orbis, curatores alendis pauperibus, hospitum exceptores, monasteriorum magistros, scholasticos, & alijs dignitatum ac officiorum titulis claros.

De Sacellanis.

Caput XXXIIII.

MVlta hactenus diximus de officijs Canonicorum, hoc est, de officijs quę ipsi Canonici faciunt; sed quia in ecclesijs suis multos alios habẽt officiarios, qui Deo, aut ipsis, officium præstent, breuiter de ijs aliqua dicenda erunt.

Sacellani & Capellani inter eos dicuntur qui simplicia habent altaria, aut beneficia, præbendis & digni-

& dignitate, & competentia, inferiora. Hi autem, quando adhuc vigebat Canonicorum vetus disciplina, quæ exigebat vt omnis clerus Canonice viueret, non discernebantur à Canonicis, neque nomine functione. Nulla tunc erat distinctio Canonicorum à Sacellanis immo nec nomen Sacellanorum vspiam audiebatur, quod posteritas à Sacellis deriuauit, quasi innuere volens hos esse minores sacerdotes.

Verum cum isti maioribus ecclesijs vt Sacellani inscripti sint, imprimis eos meminisse oportet, vt in officio Ecclesiastico pie & deuote peragendo maiorum suorum seu antecessorum exempla sedulo insectētur: meminerint se de altario & ecclesia viuere, vt altario & ecclesiæ irreprehensibiliter coram Deo & hominibus seruiant. Refractarij enim essent, & maligni spiritus, Sacellani, si recalcitranti animo dicerent hæc, aut similia, Cantent Canonici. Ecclesia non est nostra, sed ipsorum. Nolumus eorum esse serui. Non enim ab ipsis requiritur vt Canonicorum sint serui, sed vt Angelicum illud, canendi ministerium humiliter & reuerenter, prout boni Sacellani consueuerunt facere, alacres persoluant. Et vt in omnibus sese reuerenter gerant erga diuinum officium, & erga superiorem clerum.

Vicissim Canonici meminerint eos sacerdotes esse, ideoque ob sacerdotij dignitatem nunquam eis vt famulis abutantur. Meminerint eos ex prima institutione Canonicæ vitæ, non minus quam ipsi sint Canonicos esse, ideoque semper vt confratres honorandos esse, & quam maxime laborandum, vt cum eis pax foueatur, & conseruetur.

Denique

Denique Episcopus ex iisdem capitibus eos vt membra sui episcopatus, vt confratres, consiliarios & cooperarios suos, agnoscat, & honoret. Et si qui sint inter eos qui plus operæ ecclesiæ Dei præstare possint, libenter & diligenter eos per se, aut per alios, instiget, & si induci possint, summa tamen cum benignitate, extrudat, ad maiores in messem, aut in vineam, Domini, labores, nō propter temporalia commoda, sed propter amorem IESV Christi, & sponsæ eius, ac matris nostræ, Ecclesiæ: & propter magnum gloriæ pōdus, quod inde reportabitur.

De Vicepastore.

Caput XXXV.

EX collegio autem Sacellanorum facile sibi Pastor cooperarium, qui Vicepastor aut Subpastor dicitur, seligit. Necessarium est enim in dignioribus ecclesijs, vt quia omnia onera solus ferre aut sustinere non potest, digniora per se præstet: minora vero per vnum aut per duos vicarios. Deinde Pastor impeditur aliquoties per morbum, aut per alia legitima impedimenta, vt ei vicarius, tum propter molem onerum, tum etiam propter impedimenta, sit necessarius.

Huiusmodi autem Vicepastor nihil minus est quam mercenarius, sed quia cum Pastore fert pōdus onerum, immo aliquando maius pondus, ideo eum, libentius Pastoris, quam Subpastoris, titulo, honoro, certo sciēs quod Pastoris mercedem, si syncere ministerium suum compleuerit, à Pastore pastorum consequetur. Ideoque propter

ministe-

ministerium suum Pastorale, expedit eum, & à clero, & à populo, præ alijs Sacellanis honoratiori loco haberi.

De matriculario.

Caput XXXVI.

IN quibusdam collegiatis ecclesijs Pastor ex Sacellanis secundum cooperarium habet Custodem superiorem, siue Matricularium. Custos is dicitur, quia ad eius curam pertinet vt ab omnibus iniurijs & sordibus custodiatur ecclesia, & quæcumque ad ecclesiam pertinent, qualia sunt inter cetera, baptisterium, cœmeterium, campanile. Superior custos dicitur quia sacerdos est, & sub se habet secularem custodem, quem nonnulli fossarium, plures inferiorem custodem, aut sine restrictione custodem vocant, ad quem custodiæ onerosior portio pertinet. Matricularius autem cur dicatur multi nesciunt, Ego aliā eius caussam esse non puto, nisi quod ille conscribere, & penes se habere, soleat matriculam, & registrum, omniū parochianorum, eorum potissimnm qui baptizantur, qui matrimonium contrahunt, & qui in sacro loco sepeliuntur. Inscripti autem in matricem vel matriculam, matriculati vel immatriculati dicebantur: vt cognoscere licet ex Turtulliani libro de fuga in persecutione.

Ordinatur etiam in Concilio Agathensi vt clerici contumaces cum eos pœnitentia correxerit, rescripti in matricula gradum suum, dignitatemque, recipiant.

Sed custos apud alios mansionarius dicitur. Mansio-

De obscuris vocibus ecclesiasticis.

Mansionarius, ait Onuphrius, *dictus est custos & conseruatur ædium ecclesticroum, templorum, & altarium: item familiaris & domesticus à mansione. Multi ex his erant in ecclesia Romana, quorum maior, primus mansionarius vocabatur. Vnius horum & eiusdem muneris meminit diuus* Greg. l. 3. dial. c. 25. *Gregorius in libris Dialogorum. Hodie in multis ecclesijs extant, curamque psalmorum & altarium habent.*

De Primissario.

Caput XXXVII.

IN quibusdam ecclesijs aßistit etiam Pastori Capellanus Missæ matutinalis. Quare huc pertinet quod legitur in Synodo Augustensi anno 1548 celebrata: Tomo 4 Conc. *Capellani & primissarij rectoribus aut plebanis suis debitam reuerentiā exhibeant, ac omnia debita officia siue in fundationibus expressa sint, siue ex consuetudine introducta suis locis temporibusque exequantur in iuribus parochialibus, nisi fundationum suarum tenore specialiter & expresse fuerint priuilegiati, ipsis minime aduersentur, vel inobedientes existant, sed in executione curæ & diuinis officijs cantando & legendo fideliter aßistant. Quod si aliter fecerint, canonicam nostram vindictam minime euadent.*

Illud vero Harlemi apud Batauos tanquam rem memorabilem obseruaui, ad singulas portas ciui-

tatis

tatis extare sacella in quibus quotidie ad vsum itinerātium Missæ sacrificium ante portarum apertionem peragebatur ; cui pie & diligenter oppidum exire volentes interesse conabantur.

De Vicarijs.

Caput XXXVIII.

NEque mirari oportet tam vicarios quos dicimus, quam matricularios, ab alijs cōmuni nomine mansionarios dici. Vtrorum enim officium est, vt diligēter in ecclsia maneant: matriculariorum quidem, vt custodiant & conseruent ædes sacras; vicariorum vero vt custodiāt honorem domus Dei, quo ad canrum & officium ecclesiasticum. Sunt enim hi, (qui, pro qualitate & diuersitate ecclesiarum, Sacellanis, aut superiores, aut pares, aut inferiores, habentur,) Canonicorum Vicarij, non vt Canonici in canendo & psallendo muti sint, sed vt præcipuum laborem in canendo ad quem multi ex eis idonei sunt, per vicariam aliorum operam sufferant. Quod cum ad ecclesiasticæ functionis honorem pertineat, passim beneficia quædam ad vsum Vicariorum Apostolica Sede sunt incorporata.

Nemo autem propter studium Horas suas per vicarium legat. Est enim onus hoc, quod Clemens fructum labiorum suorum vocat, personale, iuxta communem sententiam atque praxin. Atque secundum soleunes & receptas glossas iuris Melius est ex se orare, quam studere vel legere. Et, maledictum est studium propter quod relinquitur diuinum officium. *De celebr: Missarum ca. 1.*

De musicis Cantoribus.

Caput XXXIX.

MVltæ autem & fere omnes digniores ecclesię musicis cantoribus ad maiorem Dei honorem, & populi Christiani exhilarationem, in diuino officio peragendo vtũtur. Cũm enim cantus ecclesiasticus sit Angelicum ministerium, non improbandum est quod in cantando, ad Dei honorem, eorum exemplo atque imitatione, artificio vtamur. Illi autem sicut citharœdi citharizantes in citharis suis, cantantes sequuntur Agnum quocunque ierit: & requiem non habet, die ac nocte dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotẽs, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

Apo. 14. *Apo. 4.*

Sed dicunt discantum, seu fractionem vocis in cantu, damnandum esse. Qua de re Dionysius Carthusianus hunc in modum scribit, in opusculo de vita ecclesiasticorum: *Quæri potest an discantus, seu fractio vocis, laudabiliter admittantur in Deitatis obsequio. Quocirca in Summa virtutum & vitiorum habetur, Reprehensibilis videtur esse in cantu fractio vocis. Vnde in legenda habetur sancti Sebastiani, Putas ne illum inter Christicolas numerandum qui tonsorem diligit, comam colit, sapores quærit, & vocem frangit? Fractio vocis signum esse videtur fracti animi. Quemadmodum reprehensibilis est crispatio crinium in hominibus, corrugatio vestrum in mulieribus, sic & fractio*

Art. 20.

vocis

vocis in cantantibus. Et sicut ventus facere solet crispationem an aqua, sic ventus vanitatis hanc crispationem, fractionemque, vocis, facere solet. Hæc in summa præfata. Cui attestatur quod quidam qui ad tempus sic cantare consueuerunt, fatentur superbiam & quandam lasciuiam animi in huiuscemodi cantu consistere.

Hactenus Dionysins, quæ tamen tanta cum modestia scribit, vt in discantus excusatione quædam subijciat. Et recte dum rationes præcitatas attendimus, parum aut nihil contra harmoniam musicam adfertur. Si enim per discantum intelligatur malus cantus, cantui bono contrarius quomodo nonnulli dishonorem dicunt, qui honori est contrarius, admitto discantum talem non esse admittendum: Et ad eum pertinere agnosco petulãtem ac quamcumque dissonam fractionem vocis, à Ioanne XXII damnatam. Sed si per discantum, & fractionem vocis, intelligatur cantus, & modulatio secundum artem musices, hæc velle damnare, est recedere à communi sensu & sententia Ecclesiæ, Vnde Concilium Tridentinum Ordinarijs iniungit vt ab ecclesijs eas musicas arceãt, vbi siue organo, siue cantu, lasciuum, aut impurum aliquid miscetur. Quibus verbis significat se decẽtem musicam in ecclesijs non improbare, sed probare. *Ioan. 22, initio libri 3. Seß. 22, ante refor.*

Per hanc musicam iam olim Deo seruiuit rex Dauid. De quo beatus Augustinus scribit, *Erat Dauid vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam, non vulgari voluptate, sed fidei voluntate dilexerat: eaque Deo suo, qui verus* *Lib. 17, de ciui. Dei, cap. 14.*

est Deus, mystica rei magnæ figuratione seruiens, & diuersorum nomine sonorum, rationales, moderatosque concentus, cōcordi varietate compactam bene ordinatæ, ciuitatis vnitatem insinuat.

Nec video quis sana mente de sancta ecclesiæ musica male loqui possit, cū à sapientissimo Ecclesiastico dictum sit, *Non impedias musicam.*

Eccl. 32. Non quod ego eam obtrudere velim ijs monasterijs, quæ propter humilitatis, simplicitatis, & solitudinis amorem, alijsque ex causis, eam hactenus in suis ecclesijs prudenter non receperunt: sed quod damnari non patiar musicam in multis alijs ecclesijs, per totum orbem Christianum, vsurpatam, tam per modulationes cantorum, quam per organa, aliaque instrumenta musica, modo ea ita adhibeatur vt spiritus lætitiam, magis quā carnis, promoueat.

Cap. 137. Commendo autē his cantoribus quod in Cōcilio Aquisgranensi scriptum est: *Studendum summopere cantoribus est ne donum sibi diuinitus collatum, vitijs fœdent: sed potius illud humilitate, castitate, & sobrietate, & cæteris sanctarum virtutum ornamentis, exornent: quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cœlestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suauitate sonorum, quæ dicuntur, erigat.* Et iterum. *Cantores non propter donum sibi collatum, se cæteris superbiendo præferant, sed humilitate socios exhibeant: & talentū sibi à Deo collatum, alijs erogare procurent.*

De Or-

De Organista.

Cap. XL.

CVm musicis organistam, vulgari nomine dictum, connumerari; ex superiori capite animaduertere licet. Dicuntur autem organa, vt à Grammaticis annotatum est, per excellentiam omnia musicorum instrumenta, sed consuetudine nunc intelliguntur ea quæ follibus inflantur. Quod iam olim sanctus Augustinus annotauit, scribens in Psalmos. *Organa dicuntur, omnia instrumenta musicorum, non solum quod grande est, & inflatur follibus.* Et iterum ad illud, Laudate eum in chordis, & organo. *Organum generale nomen est omnium vasorum musicorum, quamuis iam obtinuerit consuetudo, vt organa propria dicantur ea quæ inflantur follibus: quod genus significatum hîc esse nõ arbitror. Nam cum organum vocabulum Græcum sit, generale omnibus musicis instrumentis, hoc, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Vt autem organum dicatur, magis Latina, & ea vsitata, est vulgaris consuetudo.* *In ps. 56.* *In ps. 150.*

☞ In Nomenclatore omnium rerum, hoc instrumentum, quod venti ministerio insonat, ex Vitruuio dicitur *Organum pneumaticum*, sed nulla adijcitur vox Græca. Dicant igitur alij in Græca lingua exercitati, quomodo in Græcia vocetur. Neque enim verosimile est hoc famosum & magnificum organum, quod Latina consuetudine per *Titulo de instrumentis musicis*

 anto-

antonomasiam organum dicitur, apud facundos Græcos proprio nomine carere, præsertim cum iam olim inter Afros diuus Augustinus scripserit, à Græcis alio nomine appellari: Tum etiam quòd ab ipsis Græcis ad nos ars faciendi organa peruenerit. Instrumentum enim hoc musicum primum cœpit in Francia, ad Græcorum imitationem, industria cuiusdam Georgij: & sumptibus Ludouici Imperatoris. Cuius rei testem habemus Aimonium historicum Parisiensem, monachum sancti Germani qui illis temporibus claruit. *Baldricus*, ait, *Comes, ac Pannonici limitis præfectus, adduxit domino Imperatori presbyterum quendam Georgium nomine, bonæ vitæ hominem, qui se promitteret organum, more Græcorum, posse cōponere. Quem Imperator gratanter suscepit, & quia Deus illi, quæ ante se inusitata erant regno Francorum, attribuebat, gratiarum actiones reddidit: ac Tanculfo, sacrorum scriniorum prælato, commendauit: publicisque stipendijs curare iussit, & ea quæ huic operi necessaria forent, præparare mandauit.* Quanquam & iam antea ex dono Constantini Imperatoris organa ad Pipinum regem in Compendio conuentum generalem cebrantem peruenerint.

Lib. 4 historiæ Frācorum, cap. 113.

Sacra scrinia vocat sua, quia Regia maiestas sacra est.

Annales rerum Pipini, an. 757.

Opinor autem Christianissimos principes organa, antea apud eos inusitata, de quibus gratiarū actiones Deo reddiderunt, mox ad ecclesiastici officij vsum, exemplo sanctorum Patrum transtulisse. Vnde in prouinciali synodo Senonensi legitur. *Organorum vsum ecclesia à Patribus ad cultum*

To. 4 Cōc. c. 17.

eum seruitiumque Diuinum recepit. Sed à quibus Patribus? Explicuit id Guilhelmus Durantus, episcopus Mimatensis, ante annos trecentos. Dum enim tractat de hymno qui quotidie præfationi in sacrificio Missæ subiungitur, *In hoc*, inquit, *Angelorum & hominum concentu, quandoque organa concrepant: Quod à Dauid & Salomone introductum est, qui instituerunt hymnos in sacrificijs Domini organis & alijs musicis instrumentis concrepari, & laudes à populo conclamari.*

Lib. 4 rationalis, cap. 34.

1 Para. 23

Scripsit autem Durantus suum Rationale diuinorum officiorum eodem tempore, aut paulo ante, quo sanctus Thomas Aquinas Summam Theologicam. Ideoque etsi sanctus Doctor alicubi in Summa obijciendo dicat, Instrumenta musica, sicut citharas, & psalteria, non assumi in ecclesia in diuinas laudes ne videatur Iudaizare; puto tamen eum id non ignorasse quod ex Duranto citatum est, sed his verbis significasse organorum vsum suo tempore nondum fuisse in ecclesia vniuersali receptum, etsi in particularibus quibusdam ecclesijs aliquando sub Missarum sactificio organa concrepabant.

In 22 qu. 91, art. 3.

Nunc vero harmonia organorum, ait Nauarrus, in vniuersa ecclesia Christiana, consuetudine recepta & præscripta est, quæ ob prefatũ respectũ dici potest rationabilis, etsi horum sonus non sit tãti faciendus quanti eum vulgus facit, existimans Deo non decenter seruiri vbi ea nõ sunt. Nam licet aliquantulũ prosint imperfectis & idiotis Christianis, excitando (licet ex lõginquo) ad deuotionem doctis tamen & in Christianismo solide fundatis, cõmuniter nocet, adimẽdo illis intellectũ verborũ

De oratione & Horis c. 17 & 16.

qui longe efficacius deuotionem excitaret, & adaugeret. Rectè tamen monet Caietanus, Cardinalis sancti Xysti, propter multorum à diuino cultu auersionem tolerari posse horum vsum, vt vel sic allecti diuinis intersint.

In 2 2, quæst. 91.

Ecclesia tamen nunquam eis coram Romano Pontifice vtitur, in signum, quod earum vsus sit in ecclesia nouus, aut saltem nō omnino antiquus, vt ex quæstione ad Orthodoxos centesima septima, quæ apud Iustinum extat, & ex Nauarro, post dictum Cardinalem, colligitur. Videtur tamen adiici posse tertia causa. Nam cathedralis ecclesia Leodiensis, & quædam aliæ, arbitrantur ad magnificentiam & honorem suarum ecclesiarum spectare, quod absque vsitato passim organorum vsu, alternatim, siue ab vtroque latere, habeant musicam.

Vt itaque de organista, breui ad eum admonitiuncula, finem faciam, primum meminerit Concilium Tridentinum mandasse Ordinarijs vt ab ecclesijs musicas eas arceant, vbi siue organo, siue cantu, lasciuum, aut impurum aliquid miscetur.

Sess. 22 ante refor mat.

Deinde sciat in diuersis synodalibus constitutionibus veluti abusum damnatum esse, quod nōnulli organistæ abrumpendo sacrificium Missæ, symbolum fidei, quod est confessio fidei nostræ aliquoties detruncarint, non complete vsque ad finem cantando, & quod præfationem ac precationem Dominicā à sacerdote cani, ad finem Missæ festinantes, impedierint.

In Syn. Ca- meracensi, sessione 2. & aliis.

Postremò, meminerit per organa laudare Dominum, & auditores ad deuotionem, & ad laudem Dei excitare, non autem prolixo flatu auditores fatigare, aut artem suam ostentare.

De

De scholaribus.

Cap: XLI.

POstremum & infimum locum in choro occupant scholares. Quorum semper à maioribus nostris summa fuit cura habita, vt in studijs & pietate proficerent. Quæ res cum maxime sit Rei-publicæ Christi necessaria, non mirum est: multa desuper Patres Tridentinos, ac postmodum synodolis prouinciales & diœcesanas decreuisse, & statuisse.

Sunt autem multiplicis generis scholares. In primis sunt Canonici & Sacellani, qui in Studiorum generalium Vniuersitatibus, studium suum & continuare, & absoluere, volunt. Erga quos quales sese Capitula seu collegia Canonicorum exhibere debeant, ex tractatibus qui de priuilegijs scholarium extant, & ex multis synodalibus constitutionibus ignorari non potest. Inter ea illud est, à Concilio Tridentino repetitum, Scholares, qui in ipsis scholis studeut, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia à iure concessis, plene gaudere, & frui. *Sess. 5.*

Deinde multæ Canonicorum ecclesiæ habēt quoque, ex pijs testantium Canonicorum voluntatibus, diuersa subsidia, relicta in eum vsum vt chorales voce destituti, & alij bonæ spei studiosi, ex Capitulo delecto, in Vniuersitate catholica foueantur. Cuiusmodi studiosorum, & prouentuū, maximam solicitudinem habendam esse, non est necesse docere, cum superuacuis impendijs laboret, qui rem claram illustrare conatur.

Alij vero ſunt ſcholares, pueri ſcholam & eccleſiam parochialem, aut Capitularem, frequentantes. Inter quos primi ſunt ſymphoniaci pueri, in dignioribus eccleſijs, dicti vulgò Choraules, ab alijs Chorales, qui præ reliquis in muſicæ à phonaſco, ſeu magiſtro cantus, erudiuntur, & in eccleſia exercentur, ac laboris ſui quotidiani honorarium aliquod ſubſidium recipiunt. Qui quo fere ſunt ingenioſiores, eo magis curandum eſt, vt non minus in moribus & pietate, quam in peritia cantus, formentur, & à malis exemplis arceãtur, ne à ſanctuario Domini egrediatur iniquitas.

His proximi ſunt alij pueri, quibus ſubſidium aliquod relictum eſt, in eum peculiariter vſum, vt in ſchola literas, in eccleſia ritus & cerimonias: vtrobique autem bonos mores, & pietatem, in primis excolant. Quales ſunt in eccleſia Louanienſi, ſeptem pueri, ab Henrico Houterle Scholaſtico inſtituti in honorem ſancti Petri, patroni noſtræ eccleſiæ: & in memoriam ſeptem fratrum, ſeu Canonicorum, primæ erectionis. Quot enim Comes Louanienſis Lambertus Barbatus in prima fundatione Canonicos, totidem pius Scholaſticus pueros, inſtituit ac dotauit: alijs viam monſtrans, vt ſicut olim Canonicorum & cleri numerus creuit, ita eorum pia æmulatione hoc puerorum ſancti Petri ſeminarium creſcat, & multiplicetur.

Tertio loco ſunt reliqui omnes ſcholares, tàm diuites, qui magiſtro minerual, ſiue mercedẽ ſcholaſticam, exſoluunt, quàm pauperes, qui gratis docentur. Qui per ſingulas parochiales eccleſias partim abecedarij, & partim paulo prouectiores, eſſe ſolent.

Cæterum

Cæterum à dignioribus ecclesijs, quales sunt Cathedrales, & celebres collegiatæ, exigitur, vt si Theologię lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo, cum consilio Capituli eligendum, qui clericos, aliosq; scholares pauperes, grammaticam gratis doceat, vt deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia annuente Deo, transire possint. Ideoque illi magistro grammatices, vel ex simplicis beneficij fructibus, vel ex Capitulari & Episcopali mensa, vel alia ratione accommoda, prouideatur, ne pia hæc, vtilis, atque fructuosa, prouisio, quouis quęsito colore negligatur. Conc. Tridēt. sess. 5.

Laudandum est hac in parte Belgium nostrū, quod Traięcti, Leodij, Cameraci, Dauentriæ, Busciducis, Athi, & alibi, tā famosas habuit ante has tristissimas turbas in humanioribus & politioribus studijs scholas, vt multi inde ad sacerdotium, & Pastorales curas, cum laudę promoti sint, qui per angustiam rei familiaris ad publica gymnasia venire non potuerunt. Non ibi vnica erat schola, sed multitudo scholasticorum, per classes distincta, vnus quidem archididascalus, sed iuxta exigētiam classium, multi sub eo magistri, adeo vt nonnulli huiusmodi scholas conferrę audeant vt nonnullis Germaniæ & Italiæ Vniuersitatibus, quo ad studiosorum numerum, & præstantiam.

Postmodum accesserunt Patres Societatis Iesu, qui Antuerpiæ, Audomari, & alibi, nō minus claris scholis Belgium nostrum, vt alias prouincias nouis scholis, exornarunt, semper laborantes vt discipulos non minus in fide & pietate, quam in literarum scientia, forment. Quæ res effecit vt Episcopi, & Canonici, libenter eorū opera vtātur: &

tur: & per eos fieri velint, quæ per se præstare non possint.

De Seminario clericorum.
Caput XLII.

CAETErum quia paucissimi sunt ditiores adolescentes, quos aut parentes, aut vltronea voluntas, ad studium Theologicum, aut ad Curas Pastorales, instiget: alij vero
Haud facile emergant, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi:
& quia adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequã vitiorum habitus homines possideat, nunquam perfecte sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseueret, sancta Synodus Tridentina pie & necessario statuit, vt singulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his maiores, ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum numerum in collegio, vel alio in loco conuenienti, alere ac religiose educare, & ecclesiasticis disciplinis instituere, teneantur: qui ad minimũ duodecim annos, & ex legitimo matrimonio, nati sint, & quorum indoles & volũtas spẽ adferat eos ecclesiasticis ministerijs perpetuo inseruituros. Pauperũ autem filios præcipue eligi vult: nec tamen ditrorũ excludit, modo suo sumptu alantur, & studium præ-se-ferant Deo & Ecclesiæ inseruiendi. Quos pueros Episcopus, partim, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum mini-

Sess. 23, cap. vlt.

ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet, ita vt hoc collegium Dei ministrorũ seminarium sit. Vt vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque clericali habitu, ex Concilij præscripto, semper vtentur, grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discẽt: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cærimoniarum formas, ediscent. Curabit Episcopus vt singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi: cathedrali, & alijs loci ecclesijs, diebus festis inseruiant. Quę omnia atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria; quomodo sint exequenda, ex dicti Concilij prouido & sanctissimo Decreto, & ex Synodis prouincialibus inde subsecutis, notissimum & omnibus obuium est.

Non fuit autem necesse iam olim vigente inter Canonicos Canonica disciplina huiuscemodi de studiosis alendis, aut de seminario erigendo, decretum constituere. Tunc enim omnia collegia Canonicorum, omnia quoque monachorum monasteria in quibus clerus erat, erant scholæ virtutum, & seminaria studiosorum. Quod ipsum hæretici quoque, velint nolint, fateri coguntur, & fatentur, etsi libenter imperitioribus persuaderẽt, monasteria non nisi scholas fuisse. Quod est cõtra corpus totius historiæ ecclesiasticæ, tam alienum ab omi veritate, vt per omnia sæcula ab ipsis Apostolorum

ſtolorum remporibus contrarium ex hiſtorica veritate, & demonſtrari, & videri, poſſit.

Sane Canonicorum omnium, potiſſimum tamen cathedralium, clauſtra, ſeminaria fuiſſe clericorum, ex Concilio Aquiſgranenſi, & multorum Epiſcoporum vita atque hiſtoria, eſt notiſſimum. *Cap. 135.*

Quibus omnibus, Epiſcopus, (vt non mireris idem nunc requiri,) tanta cum vigilantia ſuperindebat, vt ex diuerſis hiſtorijs manifeſtum ſit, in ipſis Epiſcopalibus ædibus bonæ indolis & magnæ expectationis, pueros, in ſtudijs & in omni pietate nutritos fuiſſe, qui poſtea ad varias eccleſiarum dignitates promoti ſunt. Cuius multa exempla ſuppeditat nobis vel vna Leodienſis eccleſia, quæ me in clerum, & in numero ſacerdotum Chriſti indignum aſſcripſit, ideoque eius exempla libenter attendo.

Imo multos habuit ſanctus Lambertus in ſua hac ſede ſucceſſores, qui dum Canonici erant celebres fuerunt magiſtri ſcholæ Leodienſis.

Inter eos etiam VVazo celebratur, qui alicubi de metropolitano ſuo, Colonieſi videlicet archiepiſcopo, ſcriptum reliquit, *Ipſe dominus archiepiſcopus, remota dominationis ſublimitate, clauſtrum ſæpe deambulans, ſcholas viſitat, ad ſtudia cohortans, & ſtudioſos magnificans.* *Apud Mãburnum, de Canonicis.*

Pulchrè Ledradus archiepiſcopus Lugduñeſis, in epiſtola ad Carolum Imperatorem: *Habeo ſcolas cantorum; ex quibus plerique ita ſunt eruditi vt etiam alios erudire poſſint. Præter hæc vero habeo ſcholas lectorum nõ ſolum qui lectionibus exercentur, ſed etiã in diuinorũ librorũ meditatione ſpiritalis intelligentiæ fructus cõſequãtur.* *Hiſtoria Lugdunẽſis per Paradinum, l. 2, ca. 20.*

Et quid miramur, Canonicos, in omni bono opere monachorum imitatores, eorum exemplo libenter ad seruitium Dei innocentes pueros, & quos Christus ad se venire voluit, educasse, & formasse, cum tantus eorum fuerit zelus, vt necesse fuerit prohibere ne plures admitterent clericos quam ratio sinit, & facultas ecclesiæ suppetit?

Quando autem hæc prisca pietas nostris temporibus multum elanguit, prudentissimi Patres, loquente per os eorum Spiritu sancto necessarium iudicarũt per Seminariorum erectionem nostras tepeditates excitare, vt saltem hac ratione compulsi communem Ecclesiæ causam promoueamus.

Valde porro mihi in Seminario clericorum erigendo occurrit illustre in Belgio exemplum Gerardi ab Hemmericourt, abbatis monasterij sancti Bertini, quod est intra oppidum sancti Audomari, & eiusdem oppidi primi episcopi, cuius ante paucos annos defuncti memoria in Benedictione est. Is enim necdum in Episcopum postulatus, ac proinde vt Abbas, non vt Episcopus, in sua ciuitate incepit in honorem septuaginta duorum discipulorum Christi pro totidem studiosis fundationem erigere ac dotare, ne vnquam aut ciuitati aut territorio Audomarensi boni & veri Pastores ab Abbate plerisq; in locis nominandi, deessent. Ad quorũ etiam institutionem, & ad totius vrbis suæ maiorẽ ornatum. Episcopus factus, collegium Societatis Iesu, ibidem & erexit, & dotauit. Denique vt seminarium illud non tantum seminarium, sed etiam plantarium, esset in Louaniensi Vniuersitate, domum emit, quam

De musicis Cantoribus.
Caput XXXIX.

MVltæ autem & fere omnes digniores ecclesię musicis cantoribus ad maiorem Dei honorem, & populi Christiani exhilarationem, in diuino officio peragendo vtūtur. Cum enim cantus ecclesiasticus sit Angelicum ministerium, non improbandum est quod in cantando, ad Dei honorem, eorum exemplo atque imitatione, artificio vtamur. Illi autem sicut citharœdi citharizantes in citharis suis, cantantes sequuntur Agnum quocunque ierit: & requiem non habēt, die ac nocte dicentes, Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus omnipotēs, qui erat, & qui est, & qui venturus est.

Apo. 14.

Apo. 4.

Sed dicunt discantum, seu fractionem vocis in cantu, damnandum esse. Qua de re Dionysius Carthusianus hunc in modum scribit, in opusculo de vita ecclesiasticorum: *Quæri potest an discantus, seu fractio vocis, laudabiliter admittantur in Deitatis obsequio. Quocirca in Summa virtutum & vitiorum habetur, Reprehensibilis videtur esse in cantu fractio vocis. Vnde in legenda habetur sancti Sebastiani, Putas ne illum inter Christicolas numerandum qui tonsorem diligit, comam colit, sapores quærit, & vocem frangit?* Fractio vocis *signum esse videtur fracti animi. Quemadmodum reprehensibilis est crispatio crinium in hominibus, corrugatio vestium in mulieribus, sic & fractio*

Art. 20.

vocis in cantantibus. Et sicut ventus facere solet crispationem an aqua, sic ventus vanitatis hanc crispationem, fractionemque, vocis, facere solet. Hæc in summa præfata. Cui attestatur quod quidam qui ad tempus sic cantare consueuerunt, fatentur superbiam & quandam lasciuiam animi in huiuscemodi cantu consistere.

Hactenus Dionysius, quæ tamen tanta cum modestia scribit, vt in discantus excusationē quædam subijciat. Et rectè dum rationes præcitatas attendimus, parum aut nihil contra harmoniam musicam adfertur. Si enim per discantum intelligatur malus cantus, cantui bono contrarius quomodo nonnulli dishonorem dicunt, qui honori est contrarius, admitto discantum talem non esse admittendum: Et ad eum pertinere agnosco petulātem ac quamcumque dissonam fractionem vocis, à Ioanne XXII damnatam. Sed si per discantum, & fractionem vocis, intelligatur cantus, & modulatio secundum artem musices, hæc velle damnare, est recedere à communi sensu & sententia Ecclesiæ, Vnde Concilium Tridentinum Ordinarijs iniungit vt ab ecclesijs eas musicas arceāt, vbi siue organo, siue cantu, lasciuum, aut impurum aliquid miscetur. Quibus verbis significat se decētem musicam in ecclesijs non improbare, sed probare. *Ioan. 22, initio libri 3.* *Sess. 22, ante refor.*

Per hanc musicam iam olim Deo seruiuit rex Dauid. De quo beatus Augustinus scribit, *Erat Dauid vir in canticis eruditus, qui harmoniam musicam, non vulgari voluptate, sed fidei voluntate dilexerat: eaque Deo suo, qui verus* *Lib. 17, de ciui. Dei, cap. 14.*

est Deus, mystica rei magnæ figuratione seruiens, & diuersorum nomine sonorum, rationales, moderatosque concentus, cōcordi varietate compactam bene ordinatæ, ciuitatis vnitatem insinuat.

Nec video quis sana mente de sancta ecclesiæ musica male loqui possit, cū à sapientissimo Ecclesiastico dictum sit, *Non impedias musicam.*

Eccl. 32. Non quod ego eam obtrudere velim ijs monasterijs, quæ propter humilitatis, simplicitatis, & solitudinis amorem, alijsque ex causis, eam hactenus in suis ecclesijs prudenter non receperunt: sed quod damnari non patiar musicam in multis alijs ecclesijs, per totum orbem Christianum, vsurpatam, tam per modulationes cantorum, quam per organa, aliaque instrumenta musica, modo ea ita adhibeatur vt spiritus lætitiam, magis quā carnis, promoueat.

Cap. 137. Commendo autē his cantoribus quod in Cōcilio Aquisgranensi scriptum est: *Studendum summopere cantoribus est ne donum sibi diuinitus collatum, vitijs fœdent: sed potius illud humilitate, castitate, & sobrietate, & cæteris sanctarum virtutum ornamentis, exornent: quorum melodia animos populi circumstantis ad memoriam amoremque cœlestium, non solum sublimitate verborum, sed etiam suauitate sonorum, quæ dicuntur, erigat.* Et iterum. *Cantores non propter donum sibi collatum, se cæteris superbiendo præferant, sed humilitate socios exhibeant: & talentū sibi à Deo collatum, alijs erogare procurent.*

De Or-

De Organista.

Cap. XL.

CVm musicis organistam, vulgari nomine dictum, connumerari; ex superiori capite animaduertere licet. Dicuntur autem organa, vt à Grammaticis annotatum est, per excellentiam omnia musicorum instrumenta, sed consuetudine nunc intelliguntur ea quæ follibus inflantur. Quod iam olim sanctus Augustinus annotauit, scribens in Psalmos. *Organa dicuntur, omnia instrumenta musicorum, non solum quod grande est, & inflatur follibus.* Et iterum ad illud, Laudate eum in chordis, & organo. *Organum generale nomen est omnium vasorum musicorum, quamuis iam obtinuerit consuetudo, vt organa propria dicantur ea quæ inflantur follibus: quod genus significatum hîc esse nō arbitror. Nam cum organum vocabulum Græcum sit, generale omnibus musicis instrumentis, hoc, cui folles adhibentur, alio Græci nomine appellant. Vt autem organum dicatur, magis Latina, & ea vsitata, est vulgaris consuetudo.*

In ps. 56.

In ps. 150.

☞ In Nomenclatore omnium rerum, hoc instrumentum, quod venti ministerio insonat, ex Vitruuio dicitur *Organum pneumaticum*, sed nulla adijcitur vox Græca. Dicant igitur alij in Græca lingua exercitati, quomodo in Græcia vocetur. Neque enim verosimile est hoc famosum & magnificum organum, quod Latina consuetudine per anto-

Titulo de instrumentis musicis

antonomasiam organum dicitur, apud facundos Græcos proprio nomine carere, præsertim cum iam olim inter Afros diuus Augustinus scripserit, à Græcis alio nomine appellari: Tum etiam quòd ab ipsis Græcis ad nos ars faciendi organa peruenerit. Instrumentum enim hoc musicum primum cœpit in Francia, ad Græcorum imitationem, industria, cuiusdam Georgij: & sumptibus Ludouici Imperatoris. Cuius rei testem habemus Aimonium historicum Parisiensem, monachum sancti Germani qui illis temporibus claruit. *Baldricus*, ait, *Comes, ac Pannonici limitis præfectus, adduxit domino Imperatori presbyterum quendam Georgium nomine, bonæ vitæ hominem, qui se promitteret organum, more Græcorum, posse cōponere. Quem Imperator gratanter suscepit, & quia Deus illi, quæ ante se inusitata erant regno Francorum, attribuebat, gratiarum actiones reddidit: ac Tanculfo, sacrorum scriniorum prælato, commendauit: publicisque stipendijs curare iussit, & ea quæ huic operi necessaria forent, præparare mandauit.* Quanquam & iam antea ex dono Constantini Imperatoris organa ad Pipinum regem in Compendio conuentum generalem cebrantem peruenerint.

Lib. 4 historiæ Frācorum, cap. 113.

Sacra scrinia vocat sua, quia Regia maiestas sacra est.

Annales rerum Pipini, an. 757.

Opinor autem Christianissimos principes organa, antea apud eos inusitata, de quibus gratiarū actiones Deo reddiderunt, mox ad ecclesiastici officij vsum, exemplo sanctorum Patrum transtulisse. Vnde in prouinciali synodo Senonensi legitur. *Organorum vsum ecclesia à Patribus ad cul-*

To. 4 Cōc. c. 17.

tum seruitiumque Diuinum recepit. Sed à quibus Patribus? Explicuit id Guilhelmus Durantus, episcopus Mimatensis, ante annos trecentos. Dum enim tractat de hymno qui quotidie præfationi in sacrificio Missæ subiungitur, *In hoc*, inquit, *Angelorum & hominum concentu, quandoque organa concrepant: Quod à Dauid & Salomone introductum est, qui instituerunt hymnos in sacrificijs Domini organis & alijs musicis instrumentis concrepari, & laudes à populo conclamari.* *Lib. 4 Rationalis; cap. 34.* *1 Para. 23*

Scripsit autem Durantus suum Rationale diuinorum officiorum eodem tempore, aut paulo ante, quo sanctus Thomas Aquinas Summam Theologicam. Ideoque etsi sanctus Doctor alicubi in Summa obiciendo dicat, Instrumenta musica, sicut citharas, & psalteria, non assumi in ecclesia in diuinas laudes ne videatur Iudaizare; puto tamen eum id non ignorasse quod ex Duranto citatum est, sed his verbis significasse organorum vsum suo tempore nondum fuisse in ecclesiá vniuersali receptum, etsi in particularibus quibusdam ecclesijs aliquando sub Missarum sacrificio organa concrepabant. *In 22 qu. 91, art. 3.*

Nunc vero harmonia organorum, ait Nauarrus, in vniuersa ecclesia Christiana, consuetudine recepta & præscripta est, quæ ob prefatū respectū dici potest rationabilis, etsi horum sonus non sit tāti faciendus quanti eum vulgus facit, existimans Deo non decenter seruiri vbi ea nō sunt. Nam licet aliquantulū prosint imperfectis & idiotis Christianis, excitando (licet ex lōginquo) ad deuotionem doctis tamen & in Christianismo solide fundatis, cōmuniter nocēt, adimēdo illis intellectū verborū *De oratione & Horis c. 17 & 16.*

 qui

qui lōge efficacius deuotionem excitaret, & adaugeret. Recte tamen mouet Caietanus, Cardinalis sancti Xysti, propter multorum à diuino cultu alienationem tolerari posse horum vsum, vt vel sic allecti diuinis intersint.

In 2 2, quaest. 91.

Ecclesia tamen nunquam eis coram Romano Pontifice vtitur, in signum, quod eorum vsus sit in ecclesia nouus, aut saltem nō omnino antiquus, vt ex quæstione ad Orthodoxos centesima septima, quæ apud Iustinum extat, & ex Nauarro, post dictum Cardinalem, colligitur. Videtur tamen adiici posse tertia causa. Nam cathedralis ecclesia Leodiensis, & quædam aliæ, arbitrantur ad magnificentiam & honorem suarum ecclesiarum spectare, quod absque vsitato passim organorum vsu, alternatim, siue ab vtroque latere, habeant musicam.

Vt itaque de organista, breui ad eum ad moniunciula, finem faciam, primum meminerit Concilium Tridentinum mandasse Ordinarijs vt ab ecclesijs musicas eas arceant, vbi siue organo, siue cantu, lasciuū, aut impurum aliquid miscetur.

Sess. 22 ante reformati.

Deinde sciat in diuersis synodalibus constitutionibus veluti abusum damnatum esse, quod nōnulli organistæ abrumpendo sacrificium Missæ, symbolum fidei, quod est confessio fidei nostræ aliquoties detruncarint, non complete vsque ad finem cantando, & quod præfationem ac precationem Dominicā à sacerdote cani, ad finem Missæ festinantes, impediuerint.

In Syn Basiliensi, sessione 21 & alibi.

Postremò, meminerit per organa laudare Dominum, & auditores ad deuotionem, & ad laudem Dei excitare, non autem prolixo flatu aut auditores fatigare, aut artem suam ostentare.

De

De scholaribus.

Cap: XLI.

POstremum & infimum locum in choro occupant scholares. Quorum semper à maioribus nostris summa fuit cura habita, vt in studijs & pietate proficerent. Quæ res cum maxime sit Rei-publicæ Christi necessaria, non mirum est: multa desuper Patres Tridentinos, ac postmodum synodolis prouinciales & diœcesanas decreuisse, & statuisse.

Sunt autem multiplicis generis scholares. In primis sunt Canonici & Sacellani, qui in Studiorum generalium Vniuersitatibus, studium suum & continuare, & absoluere, volunt. Erga quos quales sese Capitula seu collegia Canonicorum exhibere debeant, ex tractatibus qui de priuilegijs scholarium extant, & ex multis synodalibus constitutionibus ignorari non potest. Inter ea illud est, à Concilio Tridentino repetitum, Scholares, qui in ipsis scholis studeut, priuilegijs omnibus de perceptione fructuum, præbendarum, & beneficiorum suorum, in absentia à iure concessis, plene gaudere, & frui. Seß. 5.

Deinde multæ Canonicorum ecclesiæ habẽt quoque, ex pijs testantium Canonicorum voluntatibus, diuersa subsidia, relicta in eum vsum vt chorales voce destituti, & alij bonæ spei studiosi, ex Capitulo delecto, in Vniuersitate catholica foueantur. Cuiusmodi studiosorum, & prouentuũ, maximam solicitudinem habendam esse, non est necesse docere, cum superuacuis impendijs laboret, qui rem claram illustrare conatur.

Alij vero ſunt ſcholares, pueri ſcholam & eccleſiam parochialem, aut Capitularem, frequentantes. Inter quos primi ſunt ſymphoniaci pueri, in dignioribus eccleſijs, dicti vulgò Choraules, ab alijs Chorales, qui præ reliquis in muſicæ à phonaſco, ſeu magiſtro cantus, erudiuntur, & in eccleſia exercentur, ac laboris ſui quotidiani honorarium aliquod ſubſidium recipiunt. Qui quo fere ſunt ingenioſiores, eo magis curandum eſt, vt non minus in moribus & pietate, quam in peritia cantus, formentur, & à malis exemplis arceãtur, ne à ſanctuario Domini egrediatur iniquitas.

His proximi ſunt alij pueri, quibus ſubſidium aliquod relictum eſt, in eum peculiariter vſum, vt in ſchola literas, in eccleſia ritus & cerimonias: vtrobique autem bonos mores, & pietatem, in primis excolant. Quales ſunt in eccleſia Louanienſi, ſeptem pueri, ab Henrico Houterle Scholaſtico inſtituti in honorem ſancti Petri, patroni noſtræ eccleſiæ: & in memoriam ſeptem fratrum, ſeu Canonicorum, primæ erectionis. Quot enim Comes Louanienſis Lambertus Barbatus in prima fundatione Canonicos, totidem pius Scholaſticus pueros, inſtituit ac dotauit: alijs viam monſtrans, vt ſicut olim Canonicorum & cleri numerus creuit, ita eorum pia æmulatione hoc puerorum ſancti Petri ſeminarium creſcat, & multiplicetur.

Tertio loco ſunt reliqui omnes ſcholares, tàm diuites, qui magiſtro minerual, ſiue mercedẽ ſcholaſticam, exſoluunt, quàm pauperes, qui gratis docentur. Qui per ſingulas parochiales eccleſias partim abecedarij, & partim paulo prouectiores, eſſe ſolent.

Cæterum

Cæterum à dignioribus ecclesijs, quales sunt Cathedrales, & celebres collegiatæ, exigitur, vt si Theologię lectio in eis commode haberi non possit, saltem magistrum habeant, ab Episcopo, cum consilio Capituli eligendum, qui clericos, aliosq; scholares pauperes, grammaticam gratis doceat, vt deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia annuente Deo, transire possint. Ideoque illi magistro grammatices, vel ex simplicis beneficij fructibus, vel ex Capitulari & Episcopali mensa, vel alia ratione accommoda, prouideatur, ne pia hæc, vtilis, atque fructuosa, prouisio, quouis quęsito colore negligatur. *Conc. Tridēt. sess. 5.*

Laudandum est hac in parte Belgium nostrū, quod Traięcti, Leodij, Cameraci, Dauentriæ, Busciducis, Athi, & alibi, tā famosas habuit ante has tristissimas turbas in humanioribus & politioribus studijs scholas, vt multi inde ad sacerdotium, & Pastorales curas, cum laudę promoti sint, qui per angustiam rei familiaris ad publica gymnasia venire non potuerunt. Non ibi vnica erat schola, sed multitudo scholasticorum, per classes distincta, vnus quidem archididascalus, sed iuxta exigētiam classium, multi sub eo magistri, adeo vt nonnulli huiusmodi scholas conferre audeant vt nonnullis Germaniæ & Italiæ Vniuersitatibus, quo ad studiosorum numerum, & præstantiam.

Postmodum accesserunt Patres Societatis Iesu, qui Antuerpiæ, Audomari, & alibi, nō minus claris scholis Belgium nostrum, vt alias prouincias nouis scholis, exornarunt, semper laborantes vt discipulos non minus in fide & pietate, quam in literarum scientia, forment. Quæ res effecit vt Episcopi, & Canonici, libenter eorū opera vtātur: &

tur: &

tur: & per eos fieri velint, quæ per se præstare non possint.

De Seminario clericorum.
Caput XLII.

CAETErum quia paucissimi sunt ditiores adolescentes, quos aut parentes, aut vltronea voluntas, ad studium Theologicum, aut ad Curas Pastorales, instiget: alij vero
Haud facile emergant, quorum virtutibus obstat
Res angusta domi:
& quia adolescentium ætas, nisi recte instituatur, prona est ad mundi voluptates sequendas, & nisi à teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequã vitiorum habitus homines possideat, nunquam perfecte sine maximo, ac singulari propemodum Dei omnipotentis auxilio in disciplina ecclesiastica perseueret, sancta Synodus Tridentina pie & necessario statuit, vt singulæ cathedrales, metropolitanæ, atque his maiores, ecclesiæ, pro modo facultatum, & diœcesis amplitudine, certum puerorum numerum in collegio, vel alio in loco conuenienti, alere ac religiose educare, & ecclesiasticis disciplinis instituere, teneantur: qui ad minimũ duodecim annos, & ex legitimo matrimonio, nati sint, & quorum indoles & volũtas spẽ adferat eos ecclesiasticis ministerijs perpetuo inseruituros. Pauperũ autem filios præcipue eligi vult: nec tamen ditiorũ excludit, modo suo sumptu alantur, & studium præ-se-ferant Deo & Ecclesiæ inseruiendi. Quos pueros Episcopus, partim, cum ei opportunum videbitur, ecclesiarum

Sess. 23, cap. vlt.

mini-

ministerio addicet, partim in collegio erudiendos retinebit; aliosque in locum eductorum sufficiet, ita vt hoc collegium Dei ministrorũ seminarium sit. Vt vero in eadem disciplina ecclesiastica commodius instituantur, tonsura statim, atque clericali habitu, ex Concilij præscripto, semper vtentur, grammatices, cantus, computi ecclesiastici, aliarumque bonarum artium disciplinam discēt: sacram Scripturam, libros Ecclesiasticos, homilias Sanctorum, atque Sacramentorum tradendorum, maxime quæ ad confessiones audiendas videbuntur opportuna, & rituum ac cærimoniarum formas, edíscent. Curabit Episcopus vt singulis diebus Missæ sacrificio intersint, ac saltem singulis mensibus confiteantur peccata, & iuxta confessoris iudicium sumant corpus Domini nostri Iesu Christi: cathedrali, & alijs loci ecclesijs, diebus festis inseruiant. Quę omnia atque alia ad hanc rem opportuna & necessaria; quomodo sint exequenda, ex dicti Concilij prouido & sanctissimo Decreto, & ex Synodis prouincialibus inde subsecutis, notissimum & omnibus obuium est.

Non fuit autem necesse iam olim vigente inter Canonicos Canonica disciplina huiuscemodi de studiosis alendis, aut de seminario erigendo, decretum constituere. Tunc enim omnia collegia Canonicorum, omnia quoque monachorum monasteria in quibus clerus erat, erant scholæ virtutum, & seminaria studiosorum. Quod ipsum hæretici quoque, velint nolint, fateri coguntur, & fatentur, etsi libenter imperitioribus persuaderēt, monasteria non nisi scholas fuisse. Quod est cōtra corpus totius historiæ ecclesiasticæ, tam alienum ab omi veritate, vt per omnia sæcula ab ipsis Apostolorum

ſtolorum temporibus contrarium ex hiſtorica veritate, & demonſtrari, & videri, poſſit.

Sane Canonicorum omnium, potiſſimum tamen cathedralium, clauſtra, ſeminaria fuiſſe cleri-
Cap. 135. corum, ex Concilio Aquiſgranenſi, & multorum Epiſcoporum vita atque hiſtoria, eſt notiſſimum.

Quibus omnibus, Epiſcopus, (vt non mireris idem nunc requiri,) tanta cum vigilantia ſuperindebat, vt ex diuerſis hiſtorijs manifeſtum ſit, in ipſis Epiſcopalibus ædibus bonæ indolis & magnæ expectationis, pueros, in ſtudijs & in omni pietate nutritos fuiſſe, qui poſtea ad varias eccleſiarum dignitates promoti ſunt. Cuius multa exempla ſuppeditat nobis vel vna Leodienſis eccleſia, quæ me in clerum, & in numero ſacerdotum Chriſti indignum aſſcripſit, ideoque eius exempla libenter attendo.

Imo multos habuit ſanctus Lambertus in ſua hac ſede ſucceſſores, qui dum Canonici erant celebres fuerunt magiſtri ſcholæ Leodienſis.

Inter eos etiam VVazo celebratur, qui alicubi de metropolitano ſuo, Colonienſi videlicet archiepiſcopo, ſcriptum reliquit, *Ipſe dominus archiepiſcopus, remota dominationis ſublimitate, clauſtrum ſæpe deambulans, ſcholas viſitat, ad ſtudia cohortans, & ſtudioſos magnificans.*

Apud Mãburnum, de Canonicis.

Pulchrè Ledradus archiepiſcopus Lugdunẽſis, in epiſtola ad Carolum Imperatorem: *Habeo ſcolas cantorum; ex quibus plerique ita ſunt eruditi vt etiam alios erudire poſsint. Præter hæc vero habeo ſcholas lectorum nõ ſolum qui lectionibus exercentur, ſed etiã in diuinorũ librorũ meditatione ſpiritalis intelligentiæ fructus cõſequãtur.*

Hiſtoria Lugdunẽſis per Paradinum, l. 2, ca. 20.

Et quid miramur, Canonicos, in omni bono opere monachorum imitatores, eorum exemplo libenter ad seruitium Dei innocentes pueros, & quos Christus ad se venire voluit, educasse, & formasse, cum tantus eorum fuerit zelus, vt necesse fuerit prohibere ne plures admitterent clericos quam ratio sinit, & facultas ecclesiæ suppetit?

Quando autem hæc prisca pietas nostris temporibus multum elanguit, prudentissimi Patres, loquente per os eorum Spiritu sancto necessarium iudicarūt per Seminariorum erectionem nostras tepeditates excitare, vt saltem hac ratione compulsi communem Ecclesiæ causam promoueamus.

Valde porro mihi in Seminario clericorum erigendo occurrit illustre in Belgio exemplum Gerardi ab Hemmericourt, abbatis monasterij sancti Bertini, quod est intra oppidum sancti Audomari, & eiusdem oppidi primi episcopi, cuius ante paucos annos defuncti memoria in Benedictione est. Is enim necdum in Episcopum postulatus, ac proinde vt Abbas, non vt Episcopus, in sua ciuitate incepit in honorem septuaginta duorum discipulorum Christi pro totidem studiosis fundationem erigere ac dotare, ne vnquam aut ciuitati aut territorio Audomarensi boni & veri Pastores ab Abbate plerisq; in locis nominandi, deessent. Ad quorū etiam institutionem, & ad totius vrbis suæ maiorē ornatum. Episcopus factus, collegium Societatis Iesu, ibidem & erexit, & dotauit. Denique vt seminarium illud non tantum seminarium, sed etiam plantarium, esset in Louaniensi Vniuersitate, domum emit, quam

Colle-

Collegium sancti Bertini dici voluit, etsi vulgò Collegium Audomarense dicatur, in qua sub regimine vnius præsidis in grauioribus disciplinis formantur, postquam sufficienter in inferioribus studijs instituti fuerint.

Ad quam formam, nostrates nonnulli Episcopi, clericos sui seminarij, iuniores, in seminario sed prouectiores in Vniuersitate alere malunt: & ecclesijs suis vtilius esse animaduertunt, plures in Vniuersitate, quā in Seminario, alere. Tum quod multi parentes facilius & libenter ferant minores sumptus, cū pueri, vel domi, vel in schola particulari, in studio aluntur, qui grauioribus impensis non possunt eos prouectiores in Vniuersitate alere. Ideoque maior videatur esse necessitas hos, quam illos, fouendi. Tum etiam quod animaduertant à plerisque seminibus iunioribus tardam, & à quibusdam nullam, Ecclesiæ Dei opem, & expectatum ministerium, impedi. Qui vero in Vniuersitatibus formantur, annis, moribus, & studio, maturiores, illi non seminibus, quæ diuersa impedimenta accipiunt, per quæ à fruge multa impediuntur, sed potius arboribus, quæ transplantationi idoneæ sint, comparantur, per quæ præsentibus necessitatibus, & citius, & vberius, occurritur. Citius, quòd maturiores sint vt in messem Domini extrudantur. Vberius, quòd plures hac ratione ali possint, dum Semina iuniora multis annis, ipsi autem pauciori tempore ali debeant, ac proinde illi tardius, hi citius alijs locum faciant.

Sunt rursus quædam Seminaria, non perpetuò fundata, sed non minus honorifica, perquæ contra præsentes & vrgentes necessitates, præsens remedium quæritur. Inter quæ principem locum obti-

obtinent multa Seminaria, videlicet Germanorũ, Anglorum, Scotorum, & Hibernorum, quæ Gregorius XIII, sanctissimus Pontifex, suis sumptibus alit, vt multos bene instiututos in Germaniam & reliqua regna hæresibus attrita remittat: Vnde quam incredibilis in ecclesia Dei proueniat fructus, opera ipsa loquuntur. Imo huius sanctissimi Pontificis solicitudo erexit etiam sua Seminaria Græcis & neophytis Hebræis.

Pari munificentia Regia Catholica Maiestas in duobus Belgij Seminarijs futuros Pastores, aliosque ex suis curis per hæreticorum, violentiam eiectos, liberalissime & sanctissimè fouet.

Denique sunt longe alterius generis Seminariæ Scholæ Dominicales. De quibus prima prouincialis Synodus Mechliniensis, ad satis-faciendum decretis Concilij Tridentini, per nouem capita nonnulla præclare statuit. Ad quæ, & simul ad ea quæ hoc libro de Catechesi rudiũ dicta sunt, beneuolum Lectorem remitto.

De episcopo in die Innocentium martyrum.

Caput XLIII.

Liceat vero hic aliqua adijcere de episcopo, quem puerorum scholæ sibi creare solent in die sancti Nicolai, cuius officium cum die Innocentium martyrum terminatur. Hic enim mos in multis ecclesijs inoleuit, & nondum vbique exoleuit.

Immo personatus hic episcopus in quibusdam locis reditus, census, & capones, annue percipit:

Q alibi

alibi mitram habet, multis episcoporum mitris sumptuosiorem. In Cameracensi ecclesia visus est vacãtem in mense Episcopi præbendam, quasi iure ad se deuoluto, conferre. Quam collationem beneficij vere magnifici, reuerendissimus præsul, cum puer grato animo magistrum suum, bene de ecclesia meritum, nominasset, gratam & ratam habuit.

Non possum aũt improbare huiuscemodi cõsuetudinem in scholis puerilibus receptã, modò nullus sese abusus ingerat, & modò pueris inculcetur ex qua causa vnus induat personã Episcopi alij vero personas Canonicorum. Multi enim hęc pueriliter agũt, & cur agant, nõ intelligũt. Proponẽda sunt igitur eis, vt imitẽtur vetera & recentia exempla eorũ qui ad ecclesiæ honores & dignitates promoti sunt, quique à pueritia pietatem, & studia, excoluerunt. Inter quos eis cõmendandus est ratione festæ diei, magnus pater Nicolaus, qui ob vitã sanctissime ab ipsis incunabulis inchoatã, diuinitus àd Episcopalem dignitatem Myreæ promotus est. Cui Vicelinus Episcopus, qui Holsatijs & Slauis Christum prædicauit, cum in studijs versaretur, speciali obsequio mãcipatus fuit. Nec omittẽdus est magnus confessor Athanasius, acerrimus catholicæ fidei propugnator, & contra omnes Arianorũ calumnias, contumelias, & persecutiones animo tam infracto, vt hęretici nõnulli agnoscant plura eum ab Arianis passum, esse quã pertulerit vllus Apostolorum. *Huius*, ait Rufinus, *tanti in ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiam de hoc videatur dictũ esse illud quod scriptũ est: Ego enim ostendam ei quanta*

Helmoldus in Chro. Slauorũ, c. 43

Li. 10 hist. eccl. c. 14.

Act. 7.

ta eum pati oporteat pro nomine meo. In huius etenim persecutiones vniuersus coniurauit orbis, & commoti sunt principes terræ: gentes, regna, exercitus, coïerant aduersus eum. Ille autem diuinum illud conseruabat eloquium, dicens, Si consistant aduersus me castra, non timebit cor meum: si insurgat in me prælium, in hoc ego sperabo. Huius ergo episcopi exemplum, & fidei confessio, qui per omnes annos episcopatus sui, qui fuerunt quadraginta sex, tot & tanta pericula diuinitus superauit, valde opportune pueris inculcatur, vt ad eius imitationem zelum pro fide, & pro nauicula Petri, quæ multis fluctuum motibus, & hæresium procellis, agitatur, induant. Cuius exemplum tanto gratius erit pueritiæ, quod is ipse, vt meminit Rufinus, eo tempore quo apud Alexandriam Petri martyris diem Alexander episcopus agebat, à ludentibus supra maris oram pueris, & imitari volentibus episcopum, atque ea quæ in ecclesiis geri mos est; ludi illius puerilis episcopus fuerit simulatus, & non ioco, sed serio, quosdam catechumenos baptizauerit. Vnde dictus episcopus Alexander Athanasium, atque eos quos ludus ille, vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, conuocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradidit ecclesiæ suæ nutriendos. E quibus omnibus ad patres in senectute bona pergens, non alium quã Athanasium delegit, qui post se ephod sacerdotale portaret.

Psal. 26.

Rufi. loco citato.

Hæc atque alia exempla, vetera, & recentia, externa, & domestica, pro varietate temporum

& ingeniorum, pueris forent explicanda, vt illi intelligant quorſum puerilem epiſcopi ludum exhibeant.

Prorſus autem indignum eſt quod in aulis principum Grçciæ, ſtatis quibuſdam diebus laicus aliquis inſignibus epiſcopalibus, tonſura, & cæteris ornamentis, perſonatum epiſcopatum ageret, & ſimilis crearetur ridiculus patriarcha, quo ſe oblectarent. Quæ omnia, vt in dedecus eccleſiæ accerſita, octaua Synodus generalis ſub grauibus cẽ-

Tom. 3. Concil. ſuris prohibuit.

An autem ſcholaris epiſcopus in die Innocentium protomartyrum, cum ſuis condiſcipulis, ad chori digniora ſubſellia, & ad officij cantum, turbato, cleri ordine, ſit ex more quarundam eccleſiarum admittendus, an vero hoc ipſum, vt abuſus, ſit damnandum à Canonicorum collegijs, & doctorum virorum conſeſſibus, in vtramq; partem, ambiguæ vel indeciſe diſputatum eſſe memini.

Putant enim nonnulli valde indecore & irreuerenter hæc in eccleſia tolerari, quod dãnata ſint à Concilij Baſilienſis patribus. Sed alij reſpondent Patres deteſtatos eſſe ludibria non autem quod ſcholaris epiſcopus, ſeruato decore, in feſto Innocentium loco ſit honeſtiori, in choro, & ea cantet, quæ ſanctimoniales canunt: cum expreſſe dicant.

Turpem abuſum in quibuſdam frequentatum ec-

Seſſ. 21. *clesijs, quo certis anni celebritatibus, nonnulli cũ mitra, baculo, & veſtibus Põtificalibus, more Epiſcoporum benedicunt, alij vt reges ac duces induti (Quod feſtum fatuorum, vel Innocentium, vel puerorum, in quibuſdam regionibus nuncupatur) alij laruales & theatrales iocos, alij choreas &*

tripu-

tripudia marium ac mulierum facientes, homines ad spectacula & cachinnationes mouēt alij commessationes & conuiuia ibidem præparant: hæc sancta Synodus detestans, statuit & iubet tam ordinarijs quā ecclesiarum Decanis & rectoribus sub pœna suspensionis omnium prouentuum ecclesiasticorum trium mensium spatio, ne hæc aut similia ludibria exerceri amplius permittant.

Sed vrgent isti, ridiculam esse processionem, in qua Decanus cum Canonicis, infimum locum: Sacellani, medium: scholares vero, cum suo episcopo, vltimum & dignissimum locum, occupant. Respondent illi à Bernardo scriptum esse, *Festiuam hodie & nos ipsi, præter cæterarum consuetudinem solennitatum, acturi sumus processionem. Futuri sunt in processione nostra nouissimi primi: & primi, nouissimi.* *Serm. 2 de Purificat.*

Vrgent quoque festum innocentium propter hunc abusum dictum esse festum fatuorum. Certe si alicubi multæ fatuitates in eo festo fiebant, vere à fatuis dici potuit festum fatuorum. Quamquam ego nesciam an vnquam ita dictum sit, cum festum stultorum, de quorum ludo Ioannes Gerson, Cancellarius Parisiensis, tractatum scripsit, alij cōstituant in die octaua Epiphaniæ Domini. Quo spectat quod Guilhelmus Durandus ante annos circiter trecentos in Rationali scripsit, in quibusdā ecclesijs, licet non recte, in die Stephani benedictiones dari à Diaconis: in die Ioannis à presbyteris; in die Innocentum, à pueris: ab alijs, in octaua Epiphaniæ, quod vocant festum stultorum. *Gerson alphal. 6 9.* *lib. 7 42., cap*

Quod autem ad huiuscemodi disputationes attinet, malim ego hunc puerilem ludum, quem in scholis libenter eis annuo, à domo Dei arceri, quod in eo, quantumcunque modeste fiat, facile quædam concurrant, aut inuoluantur, quæ magis vanitatem, & irreuerentiam, quam pietatem, promoueant. Verum quia ea quæ inueterata sunt, difficulter, aut corriguntur, aut prorsus extirpantur, potissimum cum aut Capitulorum, aut magistratus, fauorem habent, quibus scholæ subesse solent, ego meam sententiam modesta tantum annoto. Nam in aliorum moribus, id quod multorum bonorum virorum iudicio tolerari potest, tolerandum, esse arbitror, absque vlla contradictionis acrimonia, donec per publicam & Synodalem aliquam constitutionem aliud statuatur.

De Conseruatore.
Caput XLIIII.

Restant porro alij aliquot officiarij & protectores Canonicorum, de quibus antequam huic secundo libro finis imponatur, capitula nonnulla sunt inserenda.

Inter eos est Conseruator: Legi autem in actis ecclesiæ nostræ Louaniēsis Philippum regem Castellæ indulsisse nostræ ecclesiæ conseruatorem: cumque ex Apostolica authoritate nominatum esse abbatem sancti Laurentij in monte publico extra Leodium. Verum huiusmodi conseruatoriæ multum restrictæ sunt à Concilio Tridentino. *Sess. 14. cap. 5. ref.*

Meminerint itaque Episcopi, quorum potestas per horum restrictionem ampliata est, conser-

uatoriæ onus partim eis impositum esse, & ab eis exigi vt Capitula à molestijs & iniurijs tueantur ac defendant: &, vt verbis Concilij vtar, in possessione, seu quasi, bonorum, rerum, ac iurium, suorum, manu-teneant, ac defendant.

De Rege protectore.
Caput XLV.

RECens autem fuit ista Conseruatorum postulatio: eo quod antea pij Reges, & alij à Regibus constituti, atq; ab Episcopis postulati, ecclesiam soleant contra omnes iniurias protegere, & defendere. Sed primũ de regibus agamus, qui sciũnt illud Isaiæ. *Et erunt reges nutritij tui.* Et iterum, *Reges eorum ministrabunt tibi. Gens enim, & regnum, quod non seruierit tibi, peribit.* Vnde vnus ex eorũ numero scripsit: *Nos omni prouidentia curam ecclesiarum gerimus, per quas & imperium nostrum sustineri, & publicas res per clementiam Dei, ac gratiam, muniri credimus.* *Isa. 60, 49 & 60.* *Iustinianus nouella 42.*

Et Leo Pontifex ad Leonem augustũ, *Debes incunctãter aduertere regiam potestatem tibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse, collatam* *epit. 73.*

Cuncti itaque reges & principes agnoscant se magis rerum ecclesiasticarum, quam propriarum, cõstitutos esse defensores. Quod pulchre sub Ludouico rege, & defensore sanctæ Dei ecclesiæ, Rabanus archiepiscopus, cũ coepiscopis, & cęteris ecclesiasticis ordinibus, hũc in modum expressit: *In Cõcil: Moguntino, cap. 6.*

Quanto

Quanto Deus excellentior est homine, tanto præstantior est diuina causa mortalium possessione. Quocirca decipitur quisquis plus in proprijs, quam in Dominicis rebus gloriatur. Quarum diuinarum rerum defensor & custos diuinitus statutus, diligenti cura non solum eas seruare, sed etiam multiplicare debet, magisque illa quæ diximus præstantiora, quam sua defendere illum oportet & augmentare.

Apud G. Hedam: Qui vocat vendicationem per iuramentum cũ septem stolis.

Huc pertinet quod Carolus, Romanorum & Bohemiæ rex, Episcopo Traiectensi in perpetuum concesserit vt possessiones, bona, & iura quæcunque sua, vel ecclesiarum, de quibus quæstio oritur, per septem prælatorum aut Canonicorum propria iuramenta valeat obtinere, secundum consuetudinem præteritis temporibus obseruatã. Quod priuilegium Coloniæ anno 1349 maiestatis suæ sigillo roborauit.

Cæterum audiamus quoq; quid inter alia Ludouicus sanctissimus Galliæ rex, filio suo commẽdarit, *Enitere summopere*, ait, *vt omnes subditi tui, in pace & tranquillitate, conseruentur, sine oppreßione & molestia, præcipue autem viri ecclesiastici, & religiosi. Enimuero à Philippo Augusto, auo nostro, inquit, id referri audiui, quod cum vnus cõsiliariorum eius illi suggeßisset viros Ecclesiasticos multa illi damna inferre, iura regis vsurpantes, seseque mirari diceret quod Rex tam grauia mala toleraret, respondit illi Rex: Credo equidem ita rem habere, vt dicis. Verum cum amplißima Dei erga*

Apud Iud. clichthoueum in vita S. Ludouici.

erga me beneficia mente reuoluo malo aliquod iuris mei dispendium aut mearum rerum damnum pati, quam inter me & Ecclesiam dissidium & scandalum suscitare. Illius itaque exemplo ama fili sinceriter Ecclesiasticos viros, illorumque pacem, quantum sinit æquitas, semper asserua.

De aduocato seu patrono.
Caput XLVI.

VErùm Reges, & Principes terræ, non solum Regia potestate, ecclesias & monasteria protegebant, quomodo reliquos suos subditos, sed singulari pietatis propensione, & dici, & esse, volebant, Ecclesiarum aduocati. Vnde Imperator Romanæ ecclesiæ & summi sacerdotij sese aduocatum profitetur. Quo pertinet quod Bernardus abbas Lothario Imperatori scripsit. *Non est meum adhortari ad pugnam: est tamen aduocati ecclesiæ arcere ab Ecclesiæ infestatione schismaticorum rabiem.* Sed multi principes propter occupationum molem quarundam ecclesiarum aduocationem quibusdam suis primarijs nobilibus commendabant, Cuius plurima occurrunt exempla in fundationibus & historijs monasteriorum Germaniæ. Quædam tamen monasteria sibi & suis successoribus protegenda reseruabant.

Epist. 139.

Qua de re domesticum ad manus habeo domestici principis exemplum. *In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, ego Godefridus Dei*

Ex literis Affligem. & Flierbec.

ordinatione Dux & Marchio Lotharingiæ, atque Comes Louaniæ, omnibus fidelibus cœlestes terrenis mercari diuitias. Considerans omnem mundi gloriam, instar fluminis, raptim præterfluere, vtile mihi fore perspexi & necessarium, vt de diuitijs, diuina mihi largitate concessis, aliqua seruis Dei viuens impartirer quæ moriens integra inuenirem. Locum itaque quendam, Fliderbeca appellatum, ab omni potestate, tam mea, quam ecclesiæ Louaniensis, liberum, beato Petro Affligeniensis ecclesiæ, cum omnibus pertinentijs suis, libere tradidi, vt Abbas Affligeniensis cellam ibi Dei & mea, meorumque opitulatione extrueret, monachos poneret, qui die, noctuque, pro mea, meorumque, salute, Domino supplicarent. Vt autem firma pax & concordia inter Clericos & Monachos, sicut decet, inuiolabiliter perseueret, ex vtraque parte decretum est, ne altera pars quicquam quod iuris sit alterius partis sibi vsurpet. Aduocatus vero loci erit, quicunque Louaniæ Comes fuerit. Qui aduocatum alium nullum pro se substituet, nec de aduocatia illa aliud beneficium exiget, aut recipiet, nisi deuotas à fratribus orationes, & æternā à Deo remunerationem. Actum Louaniæ, anno Domini millesimo centesimo vigesimo quinto.

In hoc diplomate considerare licet quanta tūc fuerit in loquendo simplicitas, & humilitas. Neque enim Comes Godefridus Canonicos Louanienses aliter nominat, quam clericos: nec mona-

ste-

ſterium ſeu Abbatiã Fliderbecenſem, aliter quam cellam: denique ſeipſum, vtriuſque loci patronũ, aliter quam aduocatum.

Vtinam autem omnes terreni Principes hunc zelum noſtri Godefridi inducerent: vtinam eius exemplo monaſteria, & clerum, ab omni ſua poteſtate liberos eſſe vellent, & pro omni patrocinio ſuo præter orationes fratrum, & æternam à Deo remunerationem, nihil aliud recipere vellent.

Vel, vt ex eadem illuſtri ſtirpe alium proferam Godefridum, Vtinam in omnibus Chriſtianis principibus ineſſet ſpiritus Godefridi, Bullonenſis, qui, vt diuus Bernardus meminit, tria ampliſſima patrimonia, ſuum, fratris, & matris, partim oppignorauit, partim vendidit, vt copias ſacri belli, cuius dux erat, pluſquam pro virili aleret. Is eſt qui occupata vrbe Hieroſolyma, cum ab omnibus rex ſalutaretur, contempto hoc titulo, ſeſe vocauit Aduocatum Dominici ſepulcri, recte exiſtimans titulum hunc glorioſiorem eſſe, quam ſit Regij faſtus nomen.

In exhortatione ad Ludouicum regem.

In epiſtola Ducũ ſacri belli. addita Mariano.

Qua etiam de cauſa litigauit aliquando Rex Franciæ contra Comitem Flandriæ, vt ipſe eccleſiæ diui Petri, oppidi Inſulenſis, quod eſt in Gallicana Flandria, guardianus remaneret: ſed Maximilianus tandem effecit, vt deinceps id officij Comes Flandriæ ſibi reſeruet.

Sic olim, cum in clero vigeret pietas, & in omnes afflictos hoſpitalitas, Principes terræ, eorum collegia & protegebant, vt non opus eſſet, quibus nunc vtendum eſt, forenſibus aduocatis & procuratoribus: & multis eos diuitijs honorabãt, & dotabãt. Verum quãdo obſcuratus eſt color optimus, ceſſauit quoque illa temporalium rerũ be-

nedictio. Hoc est quod Petrus Blesensis Archidiaconus ait, *Deficientibus vasis, stetit oleum.*

Epist. 29, 4 Reg 4.

Quamquam etiam e conuerso aduocati quidã, ita à maiorum suorum pietate, quod suum est, quærentes, degenerarint, vt eos monasteria quædam habere recusarint. Quo pertinet quod Conradus Romanorũ Rex anno 1240 scripsit, Ordo Cistertiensis ab omni aduocatorum genere iuxta primariam institutionem suam semper liber extitit, & immunis.

Apud Bruschium, vbi agit de Ebracensi monasterio.

Imo iam olim Carolus magnus eos compescendos esse iudicauit. Scribit enim in priuilegio quod Vtenburrhensi dedit monasterio. *Item placuit nostræ prouidentiæ in Tottonis abbatis potestate ponere, vt sapientum vsi consilijs ex his quos inter potentes seculi nouerint esse æquitatis & fidelitatis amotores, eligant suis competentibus locis aduocatos & defensores, si opus habuerint: sin vero, nos, nostrosq; successores iustißimos defensores habeant. Sed nullus hominum sibi hãc potestatem præsumat vendicare, vel quasi hereditariam, aut aliquo iure debitam inuadere.* Deinde exigit vt Abbati tria iuret sacramẽta. Primum, quod secundum posse & nosse, iustus & vtilis aduocatus in homines & res prædicti monasterij existat. Secundum, quicquid placitando acquisierit, id est, de iniuria bannorum, vel satisfactione temeritatum, tertia sibi parte retenta, duas reddat Abbati: & nullum aduocatum vel exactorem præter se, nisi Abbatis permißione constituat. Tertium, quod nihil priuati muneris vel seruitij à quolibet loco siue curte, seu à villicis, quasi ex debito & iure

In eodem opere, De monasterijs Germaniæ.

exi-

exigat: ac mansiones & pernoctationes vspiam frequentare caueat.

De defensoribus ecclesiarum.

Cap: XLVII.

FVerunt quoque præter aduocatum alij defensores ecclesiarum. De quibus legitur in Carthaginiensi quinto Concilio: *Ab Imperatoribus vniuersis visum est postulandum, propter afflictionem pauperum, quorum molestijs sine intermißione fatigatur ecclesia, vt defensores eis, aduersus potentias diuitum, cum episcoporum prouisione, delegentur.* Et in Concilio Mileuitano, sub Arcadio, & Honorio Augustis. *Placuit, vt petatur à gloriosißimis Imperatoribus vt iubeant iudicibus dare petitos sibi defensores scholasticos, qui in actu sint, vel in officijs defensionum causarum ecclesiasticarum more sacerdotum prouinciæ, vt ijdem ipsi qui defensionem ecclesiarum susceperint, habeant facultatem pro negotijs ecclesiarum, quoties neceßitas flagitauerit, vel ad obsistendum callide decipientibus, vel obrepentibus, vel ad necessaria suggerenda, ingredi iudicum secretaria.*

Cap. 9.

Cap. 26.

Scholasticos vocat bene in scholis edoctos.

Frequens quoque eorum mentio est, cum alibi, tum in Gregorij primi, Romani Pōtificis, epistolis. Et qui inter eos primus vel princeps in Romana ecclesia erat, primicerius defensorum dicebatur.

batur. Et cum laici, seu sæculares, ecclesiasticum patrimonium defendere & procurare soleāt, Gregorio primo ysium fuit conuenientius vt omnia Ecclesiastici iuris muniā viri ecclesiastici subirēt, ob quod nonnulli procerū se sub obtentu religionis tonsurare cæperunt. Hæc consuetudo ait Onuphrius, postea diu obtinuit in Romana ecclesia, vt omnia Ecclesiastica ministeria, tum priuatim, tum publice, per solos clericos administrarentur. Quare defensores ex clericorum quoque ordine sumebantur.

De vocibus obscuris Ecclesiasticis.

De militibus ecclesiarum.

Caput XLVIII.

SEd alia fuit ratio horum defensorum ecclesiæ, quando Ecclesia Christi à gentilibus Imperatoribus persecutionem patiebatur, & tamen in grauissima illa & omnium sæuissima Diocletiani & Maximiliani persecutione, nō defuit Defensor ecclesię. In gestis enim sancti Sebastiani notatum est, Caium Papam, Christianissimum virū, Sebastianum, primæ cohortis principem, qui sub chlamyde terreni imperij, Christi militem tegebat absconditum, vt Christianorum animos inter tormenta confirmaret, constituisse Defensorem ecclesiæ, eo videlicet tempore, quando, quia nullus tutus locus ad latebram inueniri poterat, sanctus Papa Caius, & cæteri, morabantur apud Castubum quendam Christianum, zetarium palatij, apud quem sine suspicione commorantes, diu noctuq; gemitibus, fletibus, ieiunijs, & orationibus, occupati, orabant Dominum, vt digni haberentur tole-

Ad diem 20 Ianuarij.

Castulus praerat zetæ in palatio. Qua voce Sebastianus vti

tolerantia confessionis eius, & in numerum sanctorum martyrum admitti mererentur.

Imitentur hunc suum patronum omnium ciuitatum & principũ armigeri, sagittarij, & nobiles. Meminerint sagittarij ciues, sui officij esse vt Rem-publicam & corpus ciuium, quantum in eis est, ab omni hostili iniuria tueantur, inter quas prima & summa est iniuria quæ templo, quæ religioni, quæ ministris Christi, infertur. Meminerint sese fidelitate & iurisiurādi sacramento astrictos esse, vt pro aris primo loco, deinde vero pro focis, vt est in communi prouerbio, pugnent, & stent. Sane in vernacula nostra lingua quod dicantur **Scutters**/ Latinè sonat aut defensores, aut auersores, seu propulsores.

tur in sua oratione, & Lampridius in Heliogabalo. Plinius setecularm dicit.

Et miratus sum aliquando de sagittarijs nostri oppidi, quando in solenni processione armati subsequuntur clerum & venerabile Sacramẽtum Corporis Christi, cur armati & ex ordine omnes, sub suis signis, in templum vsque, quod vix alias permitteretur, subsequantur, & coram venerabili & augustissimo salutis nostræ Sacramento, in suo loco reposito, genu-flectentes transeant, & eidem quasi cum congratulatione vale-dicere videãtur. Sed qui hæc pressius considerat, facile animaduertit piam esse protestationem illius defensionis, quam & religioni, & templo, & sacris eius ministris, debent.

Immo quotquot arma portant, quotquot nobiles dici volunt, & propter nobilitatem gladium gerunt, primo loco quia Christiani sunt, suis gladijs tueri debent Dei & ministrorum eius honorem.

Scribit

In hist. Britania l. 4, cap. 10. Scribit Ioannes Maior, Theologus Parisiensis, anno millesimo ducentesimo vigesimo secundo episcopum Cathenensem decimas & iura ecclesiæ à suis quærentem, ab eis in propria sua coquina crematum esse: & Ioannem Comitem Cathenensem vicinum, quia postulanti suppetias non tulit in peccati pœnam magna parte sui Comitatus ab Alexandro Rege priuatum esse: & post septennium, à suis, Dei iudicio occisum esse.

Peculiariter tamē vnus ex nobilibus militibus, quos hodie equites auratos dicunt, deputari solet in ecclesiæ tuitionem. Quò pertinet quod Gregorius scribit ad Romanum patricium & exarchū Italiæ. *Lib. 2, indictione 11, epistola 31* Obitum Laurentij, ecclesiæ Mediolanensis episcopi, excellentiam vestram iam credimus cognouisse: & quia necesse fuit pro seruanda consuetudine militem ecclesiæ nostræ dirigere, qui Constantium Diaconum, in quo omnium voluntates atque consensum concorditer conuenire cognouerit, à suis episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari. Proinde paterna dilectione persoluentés, debitum salutationis officium, quæsumus, vt prædicto Constantio, seu fuerit consecratus episcopus, necne excellentia vestra vbi necesse fuerit suum dignetur impendere iustitia fauente solatium: quatenus hæc vos merces & hic apud inimicos vestros exaltet, & in futura vita apud Deum præuenienter commendet.

Quamquam autem vnus peculiariter ad tuitionem ecclesiæ deputari solet, omnium tamen militum officium est ecclesias Dei tueri. *Epist. 94.* *Hodie*, ait Petrus Blesensis Archidiaconus,

tirones enses suos recipiunt de altari vt profiteantur se filios ecclesiæ atque ad honorem sacerdotij ad tuitionem pauperum, ad vindictam malefactorum, & patriæ liberationem gladium suscepisse.

De Canonicis hæreditarijs. *Caput* XLIX.

POrro etsi multi propter Deum & gratis voluerunt esse non modo milites & defensores, sed etiam protectores & aduocati ecclesiarũ, in quibusdam tamen ecclesijs protectori data est vna dignitas, vel prælatura, vel præbenda. Montibus Hannoniæ Comes est hereditarius Abbas ecclesiæ sanctæ VValdetrudis. De quo antea egimus. *Lib. 2, c. 5.* Inter Veromãduos in vrbe sancti Quintini est Rex Frãcorum hæreditarius custos seu thesaurarius ecclesiæ sancti Quintini.

Et Guilhelmus Paradinus ex archiuis ecclesiæ sancti Iusti, de Canonico hæreditario huiusmodi profert monumentum *Vir illustris & potens, dominus Guillermus, dominus de Turnone, miles, trahens originem de genere eximij confessoris & pontificis gloriosissimi sancti Iusti, Lugduni venerati reuerentissimè, & ecclesiæ Lugdunensis præsulis; & exinde ecclesiæ sancti* Iusti *perpetuus Canonicus, præbendatus, & hæreditarius, prout refert venerabilium & discretorum virorum, dominorum * obedientiarij & Capituli dictæ ecclesiæ concors confessio, & antiquo fida relatio: cu-* *Histoire de Lyon, li. 2, chap. 102.* *Forte obedientiariorum.*

piens ex hoc cum Dei & gloriosissimi Confessoris beati Iusti gratia, & adiutorio, iniurias irrogatas & damna dictæ ecclesiæ sancti Iusti prosequ, & puniri per tramites rationis, & executores iustitia, & c. constituit procuratores ad prosequendum reparationem coram domino Rege, & c. Actum in Capitulo sancti Iusti, anno millesimo tricentesimo quarto.

De Receptore.

Caput L.

EST etiam necessarius Canonicis Receptor, quod illi magis rebus spiritualibus, quā temporalibus quæ eis adijcienda sunt; vacare debeant. Qualis autem hic esse debeat, descripsit sanctissimus abbas Bernardus, quamquam is nō tam receptore, quam de œconomo, loquatur. *Quærendus*, ait, *fidelis & prudens, quem cōstituas supra familiam tuam. Si quo minus fidelis inueniatur, & prudens, fideli potius committendum. Sane è duobus, tutius hoc. Quamquam si idoneus non non reperitur, etsi minus fidelem sustineri potius consulo, quā te immergere labyrintho huic. Memento Saluatorem Iudam œconomum habuisse. Aegyptius ille, Iosepho omnibus traditis, ignorabat quid haberet in domo sua. Erubescat Christianus Christiano sua non credens. Homo sine fide fidem tamen habuit seruo, super omnia bona sua constituens eum. Et hic erat alienigena. Mira res.*

Lib. 4, de consideratione cā. 6

Gen. 39.

Satis

Satis superque Episcopi ad manum habent, quibus animas credant: & cui suas committant facultatulas, non inueniunt? Optimi videlicet æstimatores rerum, qui magnam de minimis, paruam aut nullam de maximis, curam, gerant.

Sed dicent Canonici. Aliam esse causam collegiorum: aliam episcoporum. Quasi vero Episcopus non similiter, vt Canonici, iuret bona & iura ecclesiæ suæ conseruare. Nullam proinde diuersitatem agnosco. Si tamen vnus aut alter ex probatis confratribus nominari possit, qui temporalia ista cum Receptore, vt oculus & superintendens tractet, sine dispendio maioris functionis, cum nō omnibus datum sit rebus maioribus vacare, id improbari non potest.

De Distributione.

Caput LI.

DE distributore (quem aliqui Præsentiarium nuncupant) aliud quod dicam non habeo, quam agendum esse vt nunquam in distributionibus faciendis recedat à Concilij Tridentini reformationibus. In quibus decretum est vt Episcopi, tanquam Apostolici delegati, ex fructibus & prouentibus tertiā partem in quotidianas distributiones conuertant, in ijs ecclesijs vbi nullæ sunt quotidianæ distributiones, vel ita tenues vt verisimiliter negligātur. Sūt & alia quędā decreta; sed omnibus satis obuia. Quanquā enim nouum sit quotidianarū, distributionū inuentum, cuius *Sess. 21, ca. 6, sess. 22, cap. 3*

Cap. 16, nu. 10 & sequent. nusquam priora, sed tantum posteriora iura meminerunt, ipsum tamen in fauorem cultus diuini vtiliter factum esse, Nauarrus Doctor in opere De oratione & Horis canonicis erudite, contra quosdam contradicentes, tractat.

A nobis attingenda est plebeiorum quotidiana obiectio. Murmurare ij solent contra Canonicos, eorum ministerium non esse purum, eos non propter Christum, sed propter panes & nummos chorum intrare: eo quod diligentes sint quādo pinguis est distributio: negligentes vero aut absentes, quando ea aut nulla, aut tenuis est. Sed, tu, *Rom. 14.* quis es, qui iudicas alienum seruum? Quam pauci sacrosanctos. Quadraginta dies suo ieiunio sanctificarent, nisi id præceptum esset? quam pauci suaue iugum Domini portarent, nisi in remunerationem intuerentur? Nos carnales & infirmi sumus, partim præceptis cogendi, partim præmijs inuitandi, sumus ad pietatis exercitia. Eundem in modum boni Canonici, quia se pro conditione humanæ miseriæ & miseros & negligentes esse agnoscunt, iudicant ad chori disciplinam pertinere, vt seipsos per distributiones ad diligētiorem residentiam inuitent, non quod principaliter ob eam chorum intrēt, sed primario propter Deum: secundario vero, propter ea quæ adijciuntur. Quēadmodum si quis ebrietati aut vanis iuramentis deditus, vt ab illis melius disuescat, imponat sibi necessitatem dandi eleemosynam quinque stuferorum quoties ebrius fuerit, aut vnius stuferi quotienscunque nomen Domini in vanum assumpserit. Hic enim principaliter propter Deum ab inebriatione & iuratione abstinet, etsi id non faceret, nisi huiuscemodi secundario remedio sibi

felicem

felicem necessitatem inijceret. Qualem etiam sibi boni Canonici, aut in ijciunt, aut iniectam esse gratulantur.

De decimatoribus & benefactoribus. Caput LII.

HAc etiam occasione multi viri boni in anniuersarijs suis vberiores reliquerunt fructus distribuendos, partim vt clerum ad feruentes pro eis preces fundendas incitarēt, partim quoque quod scirent Christo dari, quicquid propter eum ministris eius impenditur.

Ex quibus causis antecessores nostri diligentissimi fuerunt vt nomina confratrum & omniũ bene factorum suorum diligenrer in Calēdarium conscriberent, quod nonnulli librum memoriarum, vel anniuersariorum vocant. Cuius lectio lectioni Martyrologij subiũgitur, vt pro temporali benedictione, spiritualia eis rependant.

Imo, vt ex Canonicorum quorundam monumentis obseruaui, solent quoque nomina decimatorum poni in altari, vt eorum specialior in iugi sacrificio memoria haberetur, siue ij fuerint dātes decimas, siue collectores decimarum, siue vtrique. Hoc certnm est, maiores nostros ingratitudinis vitium exhorrentes, erga omnes suos benefactores fuisse gratissimos.

Quamquam ego facile credam eos olim non habuisse decimarum suarum collectores, eò quod eas pij subditi, tāquam Deo & clero debitas, vltro adferre soleant, cum nunc peccatis nostris id exigentibus, vix per decimatores colligi possint.

De Notario.
Caput LIII.

IN omnibus etiam Capitulis Canonicorum, necessarius est Notarius & Secretarius, qui acta Capituli conscribat. Putarim autem (ad singulare ecclesiarum cathedralium ornamentum pertinere, si in omni ecclesia cathedrali constitueretur vnus è clero Notarius, vel Primicerius notariorum, cuius officium esset vt authentice colligeret, & ad perpetuam rei memoriam conscriberet, quæcunque sub eo notario per diœcesin memorabilia contingerent, digna videlicet (quæ à viris ecclesiasticis, tam præsentibus quam posteris, authentice annotata commendentur.

De Virgario.
Caput LIIII.

POstremò, habent etiam Canonici famulum Capituli, quem ecclesia nostra bastinarium, dictione à Gallis accepta, vocare solet: hodie virgarium dicimus, à virga seu sceptro, vel baculo quem, veluti fasces, Decanum & Capitulum antecedens, præfert, in signum iurisdictionis & dominij, quod penes eos est. Sed hîc sit secundi libri finis, vt de Canonicorum dominio, quod, Deo donante, dicendum videbitur, tertio libro absoluatur.

DE CANONICORVM DOMINIO.

LIBER TERTIVS.

Domini nomen non esse à Canonicis affectandum.

Caput I.

HACTENVS duobus libris disserui de Canonicis, & eorum officijs. Cæterum quia ipsi ex veteri consuetudine passim domini vocantur, multique sibi ex eo nomine applaudunt, quasi magni sint in clero, & ipsis Pastoribus digniores, de hac nomenclatura peculiaris mihi videtur restare tractatio. Quam hoc tertio libro, quantum Dominus dominantium dabit, expedire & absoluere conabor. Simul etiã, occasione huius dominij, excurram per aliquot capita in tractatione de seruis ecclesiarũ, eò quod eorum in præcedenti libro, cũ de officiarijs agerẽ, nullã fecerim mentionem, huc vsq; eos reseruans. Hæc aũt propter obseruationem ecclesiasticarum antiquitatum, quę à multis ignorãtur, spero beneuolis Lectoribus, nec ingrata, nec iniũcunda, fore. Illud imprimis oẽs Canonicos meminisse velim, turpe eis esse si affectent vocari domini Canonici, aut domini, potissimũ cũ etiã inter gẽtiles reges & summos Imperatores, fuisse cõstet nõnullos, qui domini titulũ prorsus recusauerint. Scribit enim Suetonius de Octauiano: *Domini appellationem, vt maledictũ & opprobriũ, semper exhorruit.* Et de Tiberio: *Dominus appellatus à quodã, denũciauit ne se amplius contumeliæ caussa nominaret.* Cap. 53. Cap. 28.

Lampri. in Seuero. Alexander quoque Seuerus, AElio Lampridio teste, cum Augustum nomē recepisset, dominum se appellari vetuit. Quod si summi principes terræ probrosum sibi putauerint fore si se dominos aut appellarent, aut appellari permitterent, idque putauerint ij principes qui Christum ignorabant, & Christianam religionem persequebantur, & inde laudem apud posteritatem promeruerint, an non magis probrosum erit Canonicis, siue sæcularibus, siue regularibus, quod domini titulum atque honorem affectent? Non quod ego eum Canonicis, aut sacerdotibus, inuideam, quem maxime eis à plebeijs hominibus & à cunctis sæcularibus, tribuendum esse non dubito, sed tamen meminisse eos oportet vt hunc honorem non affectent. Fuerunt enim inter Canonicos, regularem vitam professos, quidam tam indocti, vt, quamuis dum professionem solemnem fecerunt, non alio se quam fratris prænomine nuncupauerint, putēt tamen sibi postmodum, aut iniuriam, aut irreuerentiam, vel contumeliam, cum non domini sed fratres, appellarentur, non paruam factam esse. Inter sæculares vero Canonicos, audias nonnullos, hæc & similia dicentes, Sacellani non agnoscūt dominos suos. Hoc igitur dico, etsi Canonici domini & dicātur, & vere sint, eos tamen nō posse in hoc sibi nomine complacere, ne in illud Apo-*1. Pe. 5.* stoli impingant. *Non dominantes in cleris.* Meminerint summum Pontificem se non dominum vocare, sed seruum seruorum. Meminerint etiam, potentes terræ principes domini vocabulum dignius reputasse, quam vt eis asscriberetur. Sane Ioannes de Beca, clericus Traiectensis, in historia Pontificum Traiectensium, & Comitum Hollan-

Hollādiæ, Comites qui circa ipsius tempora vixerunt, sæpe domicellos Hollandiæ vocat. Inter alia scribit VVilhelmum, Hollandiæ domicellum, VVoringiæ in regem Romanorum esse electum ab electoribus Imperij, qui eum protestebantur potentiorem esse in regno Germaniæ. Quid est autem domicellus, nisi minor dominus? Hollandia celeberrimus erat comitatus: principem habebat VVilhelmum, proprijs potētem viribus, multis principibus consanguinitate & affinitate connexum, qui communi voto principum electorum in Romanum regem est electus: & tamen potens Comes suo tempore non dominus, sed domicellus, dicebatur.

Quomodo etiam ecclesiæ quædam Canonicos suos iuniores non Dominos, sed Domicellares vocant. De quibus in Mogūtina synodo, anno 1549 celebrata, Capitulum extat, cuius inscriptio est, *Ne Domicellares Canonici ante merita vrtutis & doctrinæ ad Capitula assumantur.* *Cap. 86, tomo 4, Concil.*

Canonicos, varijs ex caussis, recte vocari dominos.

Caput II.

CAEterum etsi apud maiores nostros tanta erat in loquendo simplicitas, atque humilitas, vt etiam Comites se domicellos appellare, quam dominos, mallent, illis tamen temporibus Canonici vsitate Domini nuncupabantur. Exempli gratia, erant Louanij septem Canonici, qui sese appellabant septem fratres, septem Canonicos

nicos, fratres Canonicos: ab alijs tamen nuncupabantur ſeptem domini. Quod ex multis Romanorum Pontificum, Ducum Lotharingiæ, & aliorum, quas habemus, literis, eſt clariſſimum. Diſcutiendum eſt igitur an hūc titulum, tum noſtræ, tum aliarum eccleſiarum, canonici legitimè poſſideant.

Qua de re dubitandum non eſt. Nam ſi Hieronymus ob virginitatem ſcriptum reliquit, *Domina mi Euſtochium: dominam quippe vocare debeo ſponſam domini mei.* quanto magis honoris iſte titulus tribuendus eſt Canonicis, qui ſunt ſacerdotes Dei: aut ſaltem per ſacrum ordinem diuinis officijs obſtringuntur? Vt enim Canonici tales ſint, non tantum poſtulant noſtræ Louanienſis eccleſiæ ſtatuta, ſed & Concilium Tridenti habitum ab omnibus exigit Cathedralibus eccleſijs. Nec vlli vſpiam permittit vocem habere in Capitulo, qui non ſit Subdiaconus, aut ad vlteriorē ordinem promotus.

Epiſt. 22.

Seſſ 24, ca. 12 ref.
Seſſ. 22. c. 4.

Quo ſpectat quod in plebe noſtra multi ſint, qui quos ante ſacerdotium magiſtros appellarūt, titulum eis tribuentes quem promotione ſtudiorum conſecuti ſunt, poſt ſacerdotiū tamen non aliter quā dominos, propter eccleſiaſtici miniſterij, & ordinis, eminentiam, appellant.

Si vrgeas an hac tantum ratione Canonici dicantur Domini, reſpondere cogor, ipſos etiā præbendarum ſuarum, & redituum eccleſiaſticorum dominos eſſe. Quamuis enim multę extent in hac controuerſia Doctorum ſententiæ, quas ad tręs tātum Marcus Antonius Columna, archiepiſcopus

Saler-

Salernitanus, in libro vltimo de ecclesiasticorum redituum origine, redegit communis tamen est Theologorum, & Iuris-consultorum, sententia, clericos dominos esse redituum ecclesiasticorum, & grauiter quidem Deum offendere, si ijs abutantur, non tamen ad restitutionem obligari. Quod à dicto Columna, & ab alijs, operose, & docte, explicatum est. Sed ab hoc dominio non honorantur titulo dominorum, cum multi sint reditibus, & ab alijs opibus, ijs ditiores, qui domini non vocentur: parumque sit propter diuitias dominum vocari.

Si igitur vlterius scrutemur, cur dominorum titulo Canonici præ sacellanis & alijs multis sacerdotibus honorentur, dicendum est Canonicos plerisque in locis temporalia quædam dominia obtinere, in quibus per suos ius dicant. Præterea, religiosi principes propter dignitatem sacerdotij, multipliciter clerum, & cleri bona exemerunt à sua iurisdictione, & eam transfuderunt in episcopos, vniuersitates studiorum, collegia Canonicorum, & in alias personas, in dignitate constitutas. Fuerunt autem, qui, inuidentiæ zelo agitati, multis argumentis oppugnarunt iurisdictionem hanc tēporalem, & dominia sæcularia Ecclesiasticorū, additis etiam conuicijs, strophis, figmētis, morsibus, & tragicis vociferationibus. Contra quos à Theologis, & Iuris-consultis, aliquot, non minus pie, quā erudite, est disputatum. Denique Canonici multis in locis aut à Pontificibus, aut ab Episcopis suis, vt sunt eorum Senatores, obtinuerunt superioritatem aliquam in inferiorem clerum, vt non sit mirum

rum Sacellanos humiliter Canonicos suæ ecclesiæ, vt dominos suos, honorare. Exemplo Saræ, quam scimus, propter solam maritalem superioritatem, laudari à principe Apostolorum, quod obediebat Abrahæ, dominum eum vocans.

1 Pet. 3.

Qua ratione Canonici cathedrales apud Germanos vocentur Dom-heeren.

Caput III.

ILlud vero longo etiam vsu receptum est, in prima & secunda Germania, quod Canonicos cathedralium ecclesiarum non dominos tātum vocent, sed honoratiori vocabulo **Dom-heeren/** Cuius vocis, eos qui antiquitates obseruarunt, variam animaduerti tradere etymologiam, quæ tamen fere coincidat. Aliqui enim eos quasi Domus Dei dominos sic dictos esse volunt: alij quasi vnius domus & societatis dominos. Sunt rursus alij, qui non à domo, sed à dominico, hoc nomen deriuāt. Aedes enim sacras, quas ecclesias, & templa, dicimus, Græci κυριακα vocant: quam vocem, nonnihil tamen corruptam, Alemanni & Belgæ retinent, qui eas, nonnulli **Kercken /** alij **Kircken** dicunt. Sicut autem apud Græcos kyriacon est ecclesia, ita apud Cyprianum, & alios scriptotes, dominicum in eadem vsurpatur significatione. Vnde sicut à Græca voce deriuata videtur Belgica dictio **kercke/** vel **Kircke/** ita à Latina voce ducunt **den Dom/** & inde **Dom-heeren.**

Cypr. de opere & eleemosynis, Rufin. lib. 10, cap. 3 Hilarius contra Cōstātinum.

Quibus etijmis vtatur qui volet, Mihi sane parum

rum aut arridet, aut probabile est, quod Germani à Latina voce domo, aut à dominico, quæ dictio longe eis obscurior fuit, cathedrales ecclesiæ Canonicos nuncupassent **Dom-heeren**/ cum domus Dei, & dominicũ generatim ecclesiã, siue tẽplum, significent, nõ autem cathedralem ecclesiã, Vnde in Maximini pro Christianis edicto legitur. *Orationum domos, id est, Dominica sua, vt instaurarent pro voluntate sua, permittimus*, siue, vt noua habet translatio, vt Dominica & sacras ædes reficiant, à nobis concessum est.

Apud Rufinũ lib. 9, ca. 9, apud Christophorsonũ, cap. 8.

Puto proinde cathedralis ecclesiæ Canonicos non à Latina voce, sed à Teutonica **Bisdom**/ dici **Bisdom-heeren**/ & per aphæresin **Dom-heeren**/ quod Latine sonat episcopales siue episcopij Canonicos, Dignitas enim sacerdotalis, episcopalis, pontificialis, Latine sacerdotium, episcopatus, pontificatus: Teutonice vero, **het priesterdom/ het bisdom / het pausdom**/ dicuntur. Ex illa voce **Bisdom**/ per syllabæ absumptionem dicuntur **Do m-heeren**/ non oẽs Canonici, sed ij tantum qui in ea resident ecclesia, in qua est cathedra episcopalis. Et cum illi, præ reliquis, sint consiliarij, & Senatores, Episcopi, non mirum est eos digniori titulo vocari Canonicos Episcopales, aut ipsius episcopatus. Sicut enim longe digniores sunt consiliarij perlamenti, vt loquuntur, aut priuati consilij Regij, quam sint Consiliarij Lutzenburgenses, Namurcenses, aut aliarum prouinciarum particularium, ita etiam multo digniores sunt Canonici, qui cum episcopo in eadem resident ecclesia, quam sint alij Canonici, vt non mirum sit eos honoratiorem titulũ longꝰ vsu obtinuisse.

eun-

Eundemque in modum primaria ecclesia, in qua Episcopus residet, honoris titulo **den dom** dicatur non, vt ego arbitror, à Dominico, sed à **bisdom**. Ex quo etiam dicitur **die dom-kercke**: Quod Latine est Episcopalis ecclesia.

Impropietate sermonis Canonicos ex eleemosynis viuere.

Caput IIII.

OBijciat fortassis quispiam Canonicos, tam cathedrales, quam cæteros, ex eleëmosynis viuere, ac proinde dominos non esse appellandos. Quæ illatio valde infirma est. Nam Patres mendicantium ordinum vsitate dominos salutamus, & mendici dum eleemosymas comedunt, edunt quod donatione suum est.

Cap. 122. Cæterum Canonicos ex eleemosynis viuere, non nego, cum in Aquisgranensi concilio, & alibi, passim obuia sit hæc locutio. Ad quam explicandam domestica aliquot Louaniensis ecclesiæ proferam exempla. Godefridus Alphezo primus Canonicus præbendæ altaris sancti Andreæ, pro salute animæ suæ apposuit in eleemosynam septem solidos, sex denarios, & octo capones. Petrus de Calstris, Decanus, anno millesimo quadringentesimo ordinauit, in puram eleemosynam vnam quotidianam Missam de Requiem, nominatam Missam panum, ob remedium animæ suæ, parentum, & amicorum. Ioannes de Lutzenburgo, Præpositus, nondum ducentis annis elapsis, multa nobis legauit in puram eleemosynam. Arnoldus De-

canus

canus, & Capitulum, fatentur Henricum militem Louaniensem, ad vsum residentium, in perpetuam contulisse eleemosynam aliquot bonnaria, & prata sui allodij apud Eiken anno millesimo ducentesimo trigesimo octauo. Denique Philippus, archiepiscopus Coloniensis, cum sacraret altare sancti Spiritus sub campanis, quod Godefridus, villicus Louaniensis, anno Domini millesimo centesimo octuagesimo octauo simul cum noua præbenda, erexerat, anathematis vinculo innodabat quicunque in eleemolynam istam violētas manus inijcerent. Quinque tantum protuli exempla, in quibus Canonicus, Decanus, Prępositus, Capitulum, & Episcopus, pia legata vocant eleemosynam, aut puram eleemosynam, ad distinctionem restitutionis, quæ aliquando palliatur nomine eleemosyne.

Vocant autem legata pia eleemosynas, quia tales sunt ex parte testimantium, quia ea legarunt in remedium animarum suarum. Cæterum ex parte recipientium sunt stipendia, & honoraria vitæ. Dicit enim Scriptura. Non infrenabis os boui trituranti: Dignus est operarius mercede sua. Et, Qui bene præsunt presbyteri, duplici honore digni habeantur. Ad quæ verba pulchrè Augustinus, *Accipiant Pastores sustentationem necessitatis à populo, dispensationis à Domino. Non enim idoneus est populus reddere mercedem illis, qui sibi in charitate euangelij seruiunt. Non expectent illi mercedem, nisi vnde & isti salutem.* Significat igitur Apostolus, sicut operarius viuit ex mercede, ita prædicatorem dignum esse vt sustentetur. Vnde Lucas pro mercede cibum ponit.

Deut. 25. *1 Cor. 9.* *Matth. 10.* *1 Timo. 5.* *De Pastoribus c. 2.* *Lu. 10.*

Almu-

Almutium non esse saccum mendicitatis.

Caput V.

SVnt tamen nonnulli quibus persuasum sit Canonicos, ex eleemosinis viclitare, & in eius signum, ac protestationem, gestare in brachio saccum mendicitatis, qui Almutium dicitur, Flandricè **een aelmuetsse** / voce corrupta, vt dicunt, ab **aelmoesse**/ quam Latine eleemosynam, voce à Græcis mutuata, dicimus.

Sed hæc esse arbitror voluntarias quorundam speculationes, quarum sibi rationem aliquam inuenisse videntur probabilem. Qui enim ad antiquum & primum almutiorum vsum respiciunt, sciunt quæ à Canonicis sæcularibus in brachio, à regularibus vero nostratibus in humeris, gestantur, antiquitus fuisse habitum capitis. pro ut in sacerdotij primitijs, nostro adhuc tempore, vsitate feruntur.

Goporius id scribit in Hyeroglyphicis. Non quod ego, aut probem, aut tueri velim, quorundam coniecturam, qui ea almutia dicta esse volunt, quasi **alden mutsen**/ hoc est, antiqua pilea. Cuius enim gentis vocabulum sit, & vnde originem suam acceperit, libentius ignorare me profiteor, quam vt Cimbricas coniecturas virorū doctorū iudicijs obtrudere & cōmendare velim. Aliqui dicunt, vt à capite est caputiū, vel à capiendo capitium (Sic enim Varroni dictum est quod pectus capiat, hoc est, comprehendat): ita ab amiciēdo Gallos nouam almucij vocem confinxisse. *De re vestiaria, ca. 16.* Sacerdotes, inquit Baysius, qui Canonici dicuntur, lacernis nigris ornantur, vt cucullo cum in ædis choro Dauidis versus alternis vltrò citroque vicibus

vocibus decantant: tempore vero æstiuo vtuntur pelliceo: quem ab amiciendo, opinor, vulgo aumuciam vocant.

Illud tanquam rem certam & obseruatam trado, almutia hæc fuisse capitis tegumenta. Hinc in antiquis ecclesiæ nostræ Louaniensis monumentis inuenio ea vocari pilea. Radulphus enim **Corsbout**/Decanus, per testamentum conditum anno 1389 legauit duo almutia, dicta, vt in codice testamenti eius adijcitur, **bonte mutsen**. Quod Latinè sonat pilea ex pellibus. Et in Concilio Basiliensi legitur de Canonicis, Ecclesias, ingrediantur, almucias vel byrreta tenentes in capite. *Ses. 21.*

Almutij significatio.

Caput VI.

NOn est autem dubium quin significationis causa vsus almutiorum inuentus, & à Canonicis, atque à nonnullis monachis vsitatus sit. Vtrorumque enim meminit Clementina, *Ne in agro Dominico*. Qua de re nihil probabilius occurrit, quã maiores, nostros hoc habitu; & schemate, nobis obijcere voluisse, summã illam miseriam, in quam per peccatum incidimus, ob quam primi nostri parentes, perdita innocentia, à Deo vestiti sunt tunicis pelliceis. *Qua de re lib. 3. Cle. tit. 10 de statu monachorum*

Quod vero ex primæuo vsu pellibus istis, siue almutijs, caput tegatur, monemur humilitatem in primis excolere sub obedientia Dei, & præpositorum nostrorum. Quod enim pellibus caput tegebatur, professio quædam erat humiliationis, & subiectionis.

Porro quod Canonicis aut pretiosiora, aut saltem digniora, sint almutia, quã Sacellanis, quodque in ijs varius adhibeatur ornatus, hoc propter sacerdotij, & Canonici, dignitatem, introductũ est: & non dubium est, quin artificum pietate & industria, in conficiendis hisce almutijs, varietas quædam in ornatu accesserit, pro eorum libitu, ac reuerentia erga ecclesiasticum ministerium: vt hic sit superfluum anxiè scutari, quid pendulæ illæ caudæ, similiaque quædam minuta, significent, quæ magis puto ornandi, quam significandi, caussa, adhiberi. Sicut enim præclare iam olim de parabolis Euangelicis Ioannes Chrysostomus scripsit, in ijs non oportere in singulis verbis cura perangi: ita etiam in rebus quæ ad significationem adhibentur, non licet nimium per singula anxium esse, ne multa sequantur absurda.

Hom. 65. in Matth.

Antiquos monachos non pretiosis almutijs, vel birris, sed vilibus mauortibus, vsos esse.

Caput VII.

HViusmodi sane, qualem de almutijs diximus, philosophiam veteres Aegypti monachos ex suis cucullis, pellibus, & mauortibus, hausisse, testis est Ioãnes Cassianus, in libro primo de institutis cœnobiorum. *Sunt quædam,* ait, *in ipso Aegÿptiorum habitu, non tãtum ad curam corporis, quantum ad morum formulam, congruentia, quo simplicitatis & innocen*

Cap. 4.

centia

centiæ obseruantia etiam in ipsa vestitus qualitate teneatur. Cucullis namque perparuis vsque ad ceruicis humerorumque demißis confinia, quibus tantum capita contegant, indesinenter diebus vtuntur, ac noctibus, scilicet vt innocentiam, & simplicitatem, paruulorum, iugiter custodire, etiã imitatione ipsius velaminis commoueantur. Post hæc angusto polliolo tam amictus humilitatem, quam vilitatem pretij compendiumque sectantes, colla pariter atque humeros tegunt. Quæ manortes tam nostro quam ipsorum, nuncupabantur eloquio: & ita planeticarum atque birrorum pretia, simul ambitionemque, declinant. Cap. 7

Vltimus est habitus eorum pellis caprina, qui significat mortificata omni petulantia carnalium paßionum debere eos in summa virtutum grauitate consistere; nec quicquam petulcum vel calidum iuuentutis, ac nobilitatis antiquæ, in eorum corpore residere. Hactenus Caßianus. Cap. 8

Est autem mauors Isidoro teste velamen quo feminæ, dum maritantur, velantur, vt nouerint per hęc se viris suis esse subiectas, & humiles. Quod ipsum quale fuerit, exactius in penultimo etymologiarum libro describit. Pertinet eodem quod Lini nomine legitur, in passione Pauli Apostoli. Plautilla commoda mihi pannum, quo caput tegis. Deinde sequitur, Paulum ligasse sibi oculos de Plautillæ maphorte, vice sudarij, eamque maphortem suam miraculo recepisse. In eadem significatione obseruaui hanc Lib. 2 officiorũ c. 19 lib penult. etym. cap. 25.

dictionem apud Bedam, in Martyrologio, ad XII Kal. Octobris, & Hieronymum, epistola XXII, quæ est ad Eustochium, de custodia virginitatis scripta, ex castigatione Victorij. Quæ omnia loca illustrant Cassiani de mauorte caput, vt clarius intelligatur Aegyptios monachos, reiectis byrris, capita sua mauortibus texisse, in signū subiectionis, & humilitatis.

Birri Canonicorum quales esse soleant. Caput VIII.

Birris autem, quorum pretia Aegyptij monachi declinarūt, aliquando vsos fuisse Canonicos, clarum est ex sermone diui Augustini de cōmuni vita clericorum. Cuius verba hic integrè asscribam Nemo, ait, *det birrum, vel lineam tunicam, seu aliquid, nisi in commune: de communi accipiam mihi ipsi, cum sciam commune me habere velle quicquid habeo. Nolo talia efferat sanctitas vestra, quibus quasi ego solus decentius vtar. Offeratur mihi, verbi gratia, byrrum pratiosum; fortè decet Episcopum, quamuis non deceat Augustinum, id est, hominem pauperem, de pauperibus natum. Modo dicturi sunt homines, quia inueni pretiosas vestes, quas non potuissem habere vel in domo patris mei, vel in illa sæculari professione mea, Non decet. Talem debeo habere, qualem possum, si non habuerit, fratri meo dare. Qualem potest habere presbyter, qualem potest habere decenter diaconus, & subdiaconus, talem volo accipere,*

Aug. tom. 10.

pere, quia in commune accipio. Si quis meliorem dederit, vendo, quod & facere soleo, vt quando nō potest vestis esse communis, precium vestis sit commune. Vendo, & erogo pauperibus. Si hoc eum delectat, vt ego habeam talem, det vnde non erubescam. Fateor enim vobis de preciosa veste erubesco, quia non decet hanc professionem, hanc admonitionem, hæc membra, hos canos.

Quæ diui Augustini verba Regularis quidam illustrare volens notauit birrū pellem esse rufam, à byrsa pelle bouina, vt, vult Tortellius deriuatam. Cuius vice monachi Aegypti melotas vel mafortes de vitulinis vel caprinis pellibus gestabāt. Quorū loco nos bessas, almucia dicimus, suscepimus. Nec multo aliter generalis Prioris eremitarū Augustinensium. Ambrosius Choriolanus, scripsit birrum secundum famosiores vocabulistas, decretistas, esse caputium intus foderatum, pendens à collo, quo adhuc in ecclesijs cathedralibus Canonici sæculares vtuntur. Secūdum Papiam esse amphibalum villosum.

Meminit autem Decretistarum, vt loquitur, quia Gratianus in distinctionem trigesimam Decreti, retulit canonem Gangrensem de birris, hūc in modum. *Si quis virorum putauerit sancto proposito, id est, continentiæ, conuenire vt pallio vtatur, tanquam ex eo iustitiam habiturus, & reprehendat vel iudicet alios, qui cum reuerentia birris vtuntur, & alia veste communi, quæ in vsu est, anathema sit.* Can. 12.

Erasmus vero de Augustino loquens longe ali

ter. *Nec ipse ait sibi quicquam nouauit in habitu episcoporum, nisi quod pileum pyrrhon, hoc est, rubrum, modestia caussa gestare noluerit: quemadmodum testatur in quadam apud populum oratione, Decet*, inquit *episcopum, at non decet Augustinum.* Hæc Erasmus, pro byrro, pyrhon ponens, quod Græce fuluum; rutilũ, rufum, ab igne ducto vocabulo, significat. Et Ambrosius Calepinus burrhas, rufas vestes interpretatur.

Li.3 de ratione concionandi.

Cæterum non audeo huiuscemodi birri interpretationes approbare, dum omnia ea loca considero, in quibus birrorum mentionem fieri obseruaui. Prorsus vero sensum Gangrensis Canonis, Iuris quidam interpretes, à Ioanne Quintino Hæduo notati, inuerterunt, qui per pallium intellexerunt vestes preciosas: per birros vero vestes pannosas, rudes & viles, cum contra birrus fuerit vestis pretiosa, pallium vero humilis.

Inter vestimenta enim nihil olim humilius fuit pallio, quo habitu Philophi delectabantur. Vnde illud est apud Gellium, *Barbam, & pallium, video: philosophum non video.* Et Tertullianus, factus Christianus mox libellum de pallio scripsit ad Carthaginensium primores, qui quod hominis Centurionis & Proconsularis filius, derelicta toga, pallium sumpsisset, ipsum deridebant, atque subsanniabant, siue, vt loquitur, denotabant, obijcientes, è triuio prouerbium, *De toga ad pallium.* Ex eo libello colligit Quintinus pallium fuisse genus vestis, oblõgum, simplex, & frugale, hominis totum corpu à cer-

à ceruicibus ad talos vſq; vno circumiectu contegens, in fibulæ morſu humeris acquieſcens, aptatum corpori, Græce peribolæum. Quo genere veſtimenti, quod facile, frugale, & ſimplex, erat, omnes fere Chriſtiani, Apoſtolicis illis Tertulliani temporibus, alijs indumentis derelictis, vtebantur.

Cum itaque Euſtathij ſectatores in ſuo pallio gloriarentur, & aliter veſtitos damnarent, à Gangrenſis ſynodi patribus editus eſt canon, *Si vir aliquis ob eam quam ſibi ſectandam putat, religionem, vtatur periboleo, & velut in hoc iuſtitiam conſtituens, condemnet eos qui τοὺς βήρους birros, cum Dei metu, atque reuerentia, geſtant, & alia communi, ſolitaque veſte, vtuntur, anathema eſto.* Can. 12.

Biros aūt hoc loco Zonaras explicat è ſerico cōtextas veſtes. Cui ſatis cōſonat titulus in Codice *De veſtibus holoberis, & auratis.* Petrus Pithæus allegans illud Martialis, *Li: 11 cod. tit. 8. Aduerſariorū l. 1, c. 16.*

Nec deſunt tibi bera Glaniana :

burros ſeu byrros fuiſſe arbitratur veſtis genus aliquantum vilioris & pilis hirſutæ : beros vero honeſtiorum & palatinorum ſericeas veſtes. Iſidorus, in capite de pallijs virorum, hoc tantum dicit, birrum à Græco vocabulo trahi : illi enim bηrum dicunt. Sed ego neſcio an Latini vocem hāc à Grecis acceperint, cum Cælius in antiquis lectionibus notet veſtē Gallicā eſſe, ab Atrebatibus quandoq. petitam. Legitur quoq; apud eundem hunc in modū, *Birrū fuiſſe Romanā veſtē Græci ſcribunt, & comprobat libro quarto Martianus* *Iſid. li. 19. cap. 24.* *Lib. 16:*

Birrus, inquit, & tunica nomen vestis habent. Meminit eiusdem vocis Seruius Grammaticus, in decimum AEneidos, sed non explicat eam.

Vopiscus Suetonio adiunctus. Flauius vero Vopiscus de Carino scribens dum conqueritur quosdam patrimonium suum scenicis dare, heredibus abnegare, inter alia scribit, *Donati sunt ab Atrebaticis birri petiti, donati birri Canusini.* Quibus verbis indicat Atrebatenses, in Gallijs motos birros (aut beros, vt Pithæus legendum esse arbitratur) à se pretiose confectos, in turpes scenicorum vsus turpiter profudisse. *Lib. 2 contra Iouin.* Quo etiam pertinet illud Hieronymi. Nunc lineis & sericis vestibus, & Atrebatum ac Laodiceæ indumentis ornatus incedis. *Dialogo 3 cap. 14.* Sulpicius quoque Seuerus vbi in Ecclesiasticorum quorundam luxum excurrit, nominat byrrum rigentem, & fluentem lacernam.

In Prologo menis Pamelij. In Actis gloriosi martyris Cypriani legitur ipse cum decollandus esset, se exuisse birro, aut, vt alij actus habent, lacerno birro. *Lib. 7, indict. 2 epist: 5,* Et Gregorius meminit byrri albi, quo quidam de fonte surgens indutus fuerat. *Lib. 4 hist Lang: c. 7.* Langobardi, teste Paulo Diacono, super equos equitantes tributos byrreos mittebant: sed hoc de Romanorum cōsuetudine traxerant.

Ex ijs autem quæ hactenus de birris dicta sunt, colligendum videtur, byrrum ferè fuisse vestis genus, non quo peculiariter vsi sint clerici, siue Canonici, in ecclesiastico officio, sed commune; vestis genus, quo ij absque reprehensione vtebantur, qui pauperes non erant. Vnde etiam clerici diui Augustini, quibus in regula pręscripserat,

Non

Non sit notabilis habitus vester, nec affectetis vestibus placere, sed moribus: & ipse Augustinus, byrris vtebantur, tametsi pretiosos illos Atrebaticos birros aut byrros rigentes à Sulpicio notatos, ferre nollent. Neque verosimile est huiusmodi pretiosos birros permissos fuisse seruis, de quibus in Codice Theodosij legitur, *Seruos sane omnium (quorum tamen dominos solicitudine constat militia non teneri) aut birris vti permittimus, aut cucullis.* Cap. 15. Lib. 14, titulo 10, lege 1.

Quale autem fuerit vestis genus, byrrus Canonicorum aut monachorum, describere non valeo. Non tamen improbabile est fuisse vestem, qua etiam caput tegabatur. Nam birretum diminutiuum à birro, Gallis est paruum pileum: & mauortes, quibus Aegyptij vtebantur ad declinandum pretia birrorum, capitis quoque erant tegumenta. Et Tertullianus pallium describit ceruicibus circumstructum fuisse, vt aut cucullatum, aut pæne cucullatum, fuisse videatur.

Et hæc de birris notanda habui, partim quidẽ quia nonnulli putarunt horum vsum à Canonicis in officio Ecclesiastico vsurpatum fuisse: partim vero vt intelligatur veteres illos Canonicos iudicasse suæ professioni conuenire, vt honesto habitu, nec vili, nec sumptuoso, vterentur.

De mitellis vel mitris Canonicorum. Caput IX.

FOrtassis tamen contra obijci posset Canonicorum habitum priscum aut sumptuosum

aut saltem magnificum, fuisse, eo quod antiquitus vsi sint mitris, siue mitrellis. Fateor in quibusdam ecclesijs, sed paucissimis, ex priuilegio vsum esse episcopalium ornamentorum. Vratislaus enim Bohemorum vigesimus Dux indulgente Alexandro tertio in arce Prayensi collegium canonicorum regularium erexit. In quo dũ res agitur diuina, non tantum Præpositus, sed Decanus, & Sacerdos, Diaconusque & Subdiaconus rem diuinam facientes Episcopalibus ornamentis vtuntur.

Aeneas hist. Bohe. cap. 22.

Cæterum in antiquis synodalibus constitutionibus ecclesiæ Leodiensis longe aliud mitra significat vbi legitur: *Clerici in sacris ordinibus constituti & beneficiati mitras non habeãt in capite dum sunt in ecclesia.* Putãt enim Canonici Leodienses, ceteris ob ætatẽ & rerũ vsum peritiores, significari eam almutij partẽ, quæ proxime brachium pendet, & caputij formam habet. Quam etiamnum apud Cameracenses is qui summam Missam celebraturus est, capiti suo induit. Quem cæteris clericis, cum forte eũ imitari vellent, Synodus Leodiensis prohibuisse videtur.

Cap. 14.

In qua etiam significatione puto me aliquando in veteribus scriptis ecclesiæ nostræ Louaniensis mitellæ vocem obseruasse. Neque omnino absimile est, quod apud optatum legitur castimonialium mitellas (siue, vt Balduinus castigauit, mittellas) inuentas esse ad signum capitis, non ad remedium castitatis.

Lib. 6.

Explicatur illud Apostoli Nõ dominãtes in cleris.

Caput X.

Vt

VT vero ad ea redeam vnde diuerti, quamuis nec ex eleemosynis, nec ex almutijs, dominium Canonicorum euerti possit, videtur tamen repugnare quod Petrus scribit, *Pascite qui in vobis est, gregem Dei, prouidentes non coactè, sed spontaneè, secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed volũtarie, neque vt dominãtes in cleris, sed forma facti gregi ex animo.* 1 Pet. 5.
Quibus verbis Apostolus Petrus nedum Canonicis, sed & Episcopis, omnem videtur dominationem auferre. Insecutus Saluatoris nostri doctrinam, qui ad omnes Apostolos dixerat, Luc. 22.
Principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt potestatem exercent in eos, Non ita erit inter vos. Quæ duo loca attendens Bernardus, Eugenio Pontifici scripsit. *Planum est, Apostolis interdicitur dominatus. I ergo tu, & tibi vsurpare aude, aut dominans Apostolatum, aut Apostolicus dominatũ. Plane ab alterutro prohiberis. Si vtrumque similiter habere voles, perdes vtrumque.* Hæc Bernardus. Lib. 2 ca. 6

In his autem locis, non dominium, sed dominandi in subditos libido, damnatur. Veri enim domini, & superiores, obseruant illud Augustini, *In domo iusti viuentis ex fide, & adhuc in illa ciuitate peregrinantis, etiam qui imperant seruiunt, ijs quibus videntur imperare. Neque enim dominandi cupiditate imperant, sed officio consulendi, nec principandi superbia, sed prouidendi misericordia.* Lib. 19 de ciuit. dei cap. 4.

Quæ

Qui autem non spectat salutem, & vtilitatem, eius cui præest, sed proprium commodum, aut authoritatem, is vsurpat sibi dominium, & eo abutitur, ac redarguitur verbis Christi, *Non ita erit inter vos.* Quod est, non ita licebit vobis dominari. Vnde Gregorius Pontifex scribit, *Reges gentium domini seruorum sunt. Imperatores vero Rei-publicæ, domini liberorum.*

Greg. Phocæ lib. 11, epist. 36.

Explicatur illud Christi. Principes gentium dominantur eorum. Non ita erit inter vos.

Caput XI.

HOrum autem verborum Gregorij hic mihi videtur esse sensus. Reges gentiles & pagani subditis suis dominari solent, ac si omnes, eorum serui & mancipia essent. Christianæ vero Imperatores Rei-publicæ, omnibus suis subditis sic dominantur perinde ac si omnes liberi essent, & ingenui, nulli autem aut libertini aut serui.

Eo sane respexit Christus Saluator, dicens Apostolis suis, *Scitis quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis.* Dominantur, hoc est, seipsos & quæ sua sunt quærunt, non autem vtilitatem subditorum: & regimen suum ordinant ad propriam vtilitatem: & tales principes eorum, potestatem habent eorum; siue, vt Matthæus habet, qui maiores sunt, potestatem exercẽt in eos. Quibus verbis significat magnates inter gentiles cum austeritate & oppressione sibi ius in subdi-

Mar. 10.

Matt. 20.

ſubditos vendicare. Subditi autem oppreſſi, verbis humilibus & falſis eis adulãtur, & quos duros & inhumanos experiuntur, beneficos vocare coguntur. Quod Lucas dicit, *Et qui poteſtatem habent ſuper eos, benefici vocantur.* Volunt vocari optimi domini, & benefici: **weldaedighen heren.** Lu. 22.

Non ita erit inter vos. Duodecim Apoſtolos ſuos Chriſtus alloquitur, docens quod non liceat ſuperiori ſubditis ſuis dominari, aut ex ipſis commodum ſuum quærere. Quod gentiles faciunt. Etſi videri nolint id facere. Hanc enim Saluator iudicat dicens eos qui poteſtatem exercent in eos, beneficos vocari: Quod eſt, etſi eos opprimant, beneficos tamen vocari velle. Et Seneca ſcribit. Nec illud videtis quã omnem tum inuidiam dominis, tum ſeruis cõtumeliam, maiores noſtri detraxerint? Dominum patrem-familiæ appellauerint: ſeruos, familiares. Epiſt. 47.

Quamquam autem Saluatoris verba hoc loco ad Apoſtolos, qui Eccleſiaſtici, non ſæculares erant, dirigantur, eadem tamen de principibus ſæcularibus eſt ratio. Siquidem illi ſecundum Chriſti legem, populi pacem, & ſalutem, quærere debent, non autem proprium commodum. Quod etiam Homerus, poeta, qui eos vocat populorum paſtores, nõ ineleganter ſignificauit. Alioquin non principes, ſed aut tyranni, aut ſaltem mercenarij, ſunt dicendi. Ideoque quos alij duo Euangeliſtæ principes & reges gentium vocant, Marcus, veluti eorum commentator ita deſcripſit vt potius neget eos veros principes fuiſſe cum ait, *Hi qui videntur principari gentibus.*

Quo-

Quocirca, vt diui Augustini verbis vtar; etiã si habuerunt seruos iusti patres nostri, sic administrabant domesticam pacem, vt secundum hæc temporalia bona filiorum sortem à seruorum conditione distinguerent: ad Deum autem colendum in quo æterna bona speranda sunt, omnibus domus suæ membris pari dilectione consulerent. Quod naturalis ordo ita præscribit vt nomen patrumfamilias hinc exortum sit, & tam late vulgatum vt inique etiam dominantes, hoc se gaudeant appellari. Qui autem veri patres-familias sunt, omnibus in familia sua tanquam filijs ad colendum, & promerendum Deum consulunt, desiderantes atque optantes venire ad cœlestem dominum, vbi necessarium non erit officium consulendi iam in illa immortalitate. Quo donec veniatur, magis debent patres quod dominantur, quam serui tolerare quod seruiunt.

Sed hæc postrema diui Augustini verba quibusdam obscura videbuntur, quomodo videlicet patrum dominatio ad tolerantiam pertineat & ad maiorem tolerãtiam quam seruorum seruilis conditio. Ideoque Ludouicus Viues, locum illustrans, recte adiecit. *Nihil enim difficilius, ac proinde laboriosius, quam bene imperare: nihil molestius, quam malis imperare.*

Quo sensu in hymno Angelico legatur Tu solus Dominus.

Caput XII.

Occurrit

OCcurret fortassis alicui alia obiectio, quod in hymno Angelico, qui in sacris liturgiæ mysterijs canitur, legatur *Tu solus dominus*: ac proinde domini titulo homines mortales non esse honorādos. Legitur sine dubio quod dictum est, sed & alibi legitur, apud Apostolum *Quicunque sunt sub iugo serui, dominos suos omni honore dignos arbitrentur, ne nomē Domini & doctrina, blasphemetur Qui aūt fideles habēt dominos nō contemnāt, quia fratres sunt, sed magis seruiant, quia fideles sunt, & dilecti, qui beneficij participes sunt. Hæc doce, & exhortare.* 1 Tim. 6. Docuit hæc pluribus in locis idem Apostolus, vt videre licet in epistolis, quas scripsit Ephesijs, & Colossensibus. Ephes. 6. Col. 3. Nec minus clare eadem tractat Petrus, Apostolorum princeps, in priori catholica epistola. 1 Pet. 2. Et ab vtroque Apostolo diligenter inculcatur quales nos esse oporteat erga reges, & quamcumque potestatem sublimen, quod cum Christianis sit notissimum, non est necesse hoc in loco operose inculcare.

Valeat proinde seditiosus nebulo Iudas Galilæus, cuius in Apostolicis actis est mētio, qui Flauio Iosepho teste, cum suis sequacibus solū principem & dominum dixit Deum omnium. Act. 5. Lib. 18 antiquitatū, cap: 2. Vnde plurimi, hoc stultitiæ morbo insanabiliter ægroti, mortis multas & varias species sustinere pro nihilo pendebant, dummodo nullum hominem dominum dicere compellerentur.

Ne quem vero illud *Tu solus dominus*, quod obiectū est, turbet, ibidem legitur *Tu solus sanctus*: alibi tamen veritas dicit, *Sancti eritis, quoniā ego sanctus*, sum multaq; similia. 1 Pet. 1. ex Leu. 11, 19, 20.

1 Tim. 1. Ita Apostolus qui Timotheo scribit. *Soli*
Rom. 12. *Deo honor & gloria*, àlibi scribit *Honore inui-*
1 Thes 2. *cem præuenientes*: & ad Thessalonicenses, *Vos estis gloria nostra.* Sicut ergo Christus non negat alios esse aut bonos, aut magistros, aut patres, dum dicit, *Nemo bonus nisi solus Deus.*
Lu: 18. Et, *Patrem nolite vobis vocare super terram,*
Matt. 23. *vnus est enim pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester, vnus est Christus*: sic etiam prioribus locutionibus iudicatur alios à Deo non esse aut dominos, aut sanctos, aut honore vel gloria dignos: Sed omnia hæc eo tendunt, vt significetur in Deo esse supereminens excellentiæ gradus, dominij, sanctitatis, honoris, gloriæ, bonitatis, magisterij, & paterni animi: qua ratione nullus alius dici possit aut dominus, aut sanctus, aut honore, vel gloria dignus, aut bonus, aut magister, aut etiam pater. Et vt nō sit necesse omnia hoc loco explicare, de solo do-
Col. 3. 4. minio loquamur. Nos domini sumus, sed car-
Apoc: 19. nales, & qui alium Dominum habemus in cælis,
Eccl 23. qui est Rex regum, & Dominus dominantium: & qui est, vt Ecclesiastici verbis vtar, dominator vitæ meæ. Cuius tam præfectum, cæleste & diuinum est dominium, vt eius consideratione principes huius terræ, reges, imperatores, monarchæ, non digni sint qui domicelli, aut minores domini, dicantur, quod diuini illius dominij ad terrenum, infiniti ad finitum, nulla sit proportio, vt mirum non sit Basilium, Ambrosium, Hilarium, aliosque veteres Patres, probare Spiritum sanctū, ex eo quod sit dominus, esse Deum.

Cur

Cur primi Romani Imperatores, noluerint domini dici.

Caput XIII.

AN autem primi Romani orbis Imperatores honorem titulumque hunc refugerint, quod eum Deo peculiarem remanere vellent, non arbitror: sed magis puto eos humana cōsideratione domini appellationem vt maledictū, & opprobrium, & cōtumeliam, semper exhoruisse, quod de Octauiano & Tiberio Suetonius scribit, quia, cum gratius esset nomen pietatis, quam potestatis, benefici, vt Christus loquitur, & patres patriæ, vt alij loquuntur, & dici, & haberi, volebant. Dominus enim dum princeps dicitur, videri potest vobabulum esse terroris, nō quod omnes sibi vt seruos & mācipia subdi velit, sed quod in omnes sibi subditos non cum iustitia & clemētia, sed cum austeritate & violentia, dominari, & principari velit. Id enim principibus gentium, peculiare fuisse, ex verbis Domini Saluatoris nostri, quæ paulo ante explicuimus, notissimum est. *Lu. 22.* *Cap. 10.*

Vnde domini titulus factus sit vsitatissimus.

Caput XIIII.

POstmodum vero, sicut apud Græcos κύριος frequenter honoris vocabulum est, sic etiam in Latino sermone passim vsitatum fuit alios non dominij caussa, sed honoris aut beneuolētiæ gratia, dominos appellare, sicut ad modestiam pertinet quod huius aut illius seruos nos

aliquoties appellemus. Quod nonnulli putent primo vsitatum fuisse à Plinio secundo in familiaribus ad Traianum Augustum epistolis, Sed hanc phrasin etiam paulo ante crebro vsurpatam fuisse indicant carmina Martialis lubrici poetæ,

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere;
Sæpe etiam seruum sic ego dico meum.

& rursus.

Libro 5, epigr: 58. *Mane salutaui vero te nomine, casu,*
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Libro 6, epigr. 88. *Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?*
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Auctor est etiam Seneca libro I epistolarum occurrentes dominos salutari, cum eorum nomina aut ignorantur, aut non occurrunt. Hæc autem phrasis longe receptior facta est inter Christianos, qui ex sacris literis didicerunt honore inuicem præuenire: & à principe Apostolorum laudari sciunt Saram, quod propter solam maritalem præeminentiam Abraham dominum appellauerit. (*Rom. 12. 1 Pet. 3.*) Certe humilitatis discipulus facile in aliis quantumcunque inferioribus aliquid inuenit, in quo eos superiores agnoscat & dominorum titulo veraciter honoret. Vnde etiam Augustinus episcopus scribens ad Madaurenses, in superstitioso idolorum cultu permanentes, non reformidauit eos vocare dominos prædicabiles, & dilectissimos fratres (*Epist. 42.*) Et Tertullianus aduersus gentes; (*In Apologetico.*) *Dicam plane Imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cæterum liber sum illi, dominus enim meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius.*

Cur

Cur non-nulli domnus & domna dicant, pro dominus & domina.

Caput XV.

CAEterum Christiana simplicitas posterioribus aliquot sæculis, nihil metuens Grammaticorum regulas, aut ferulas, vt facile in titulis varietas nascitur, libentius honoratos viros, domnos quam dominos dixit. Quam simplicitatem, à Duranto episcopo Mimatensi ante trecentos annos inculcatam, Pius qnintus, ordinis Prædicatorum, Pontifex maximus, in Breuiario Romano, quod ex decreto Concilij Tridentini restitutum est, remanere voluit. Passim enim in eo legitur, *Iube domne benedicere* : & in litanijs, *Vt domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines, in sancta religione conseruare digneris.* *Libro 5. rationales Cap. 2.*

Qua etiam voce nonnulli putāt, vsum esse Ouidium Nasonem, scribentem in elegijs, *Micellus dè re metrica.*

At tibi progenies alti fortissima Domni
Venit in aduersos impetus ire viros : *Lib. 4 de Ponto, elegia 7.*

Sed ille poetica licentia propter metri necessitatem vocem, si modo ea, & non proprio alicuius nomine, vsus sit, contraxit.

Christiani vero, qui corrupta quam pura voce vti maluerunt, attenderunt in Scripturis sanctis passim de Deo dici, *Hæc dicit Dominus*, & similia. Itaque reuerentiæ caussa titulum illum Diuinæ maiestati relinquere maluerunt, quam eum transferre ad terrenos & carnales dominos, qui non sunt absolute domini, sed restrictum in

multis miserijs & paucorum annorum tempore dominium aliquod possident. Quod vix vmbra etiam si monarchia huius orbis foret, esse potest dominij illius quod est penes Dominum Deum nostrum. Quod idem dictum quoque intelligatur de alijs, qui non ob dominium, sed ob sacerdotium, aut alia ex causa, domini titulo honorantur. Reuerentiæ itaque causa Deum, Dominum: homines vero, domnos dixerunt. Prout testatur versiculus ille, maioribus nostris notissimus,

Cælestem, dominum: terrestrem, dicito domnum.

Chertuitius in vita Stephani regis, ad XX Augusti. Eundem in modum, honoris summi causa super benedicta Deipara Virgo, domina dicitur, & festum assumptionis eius apud Hungaros honoris ergo non aliter nominatur quam dies Dominæ. Abbatissæ vero non dominæ, sed domnæ dici solent, vt Abbates, domni, sicut animaduertere licet ex multorum monasteriorum membranis, quarum quædam Gothicis literis sunt descriptæ, vt non sit absurdum, ab ijs Latinæ linguæ corruptoribus, hanc phrasin emanasse. Qua etiam Gregorius primus vtitur aliquoties in suo registro. *Lib. 1 ep 6 libro 7. epist. 127.*

Collegia Canonicorum multo tempore possedisse seruos.

Caput XVI.

SEd ad alia transeamus. Ex ijs quæ paulo ante dicta sunt, colligitur à Christo Saluatore nostro non damnatum esse quod possideantur seruilis conditionis homines, qui vel serui, vel mancipia dicuntur. *Quibus quod hac nomina in Latina*

tina lingua indita sint, bella fecerunt, ait Augustinus. *Qui enim, homo ab homine, superatus iure belli posset occidi, quia seruatus, seruus est appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt.* In genes. ca. 153. & li. 19 de ciuit. dei cap. 15.

Eandem etymologiam seruorum paulo plenius explicant Iurisconsulti, apud quos legitur *Serui ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, & per hoc seruare, nec occidere, solent.* Quoniam enim multi hostili odio in captiuos desæuiebant, eosque trucidabant, Romani Imperatores id prohibuerunt, ait Alciatus, iusseruntque vendi, non autem occidi. Vnde serui dicti sunt quasi seruarentur. Neque enim à seruiendo nomen habent: sed contra, sicut à domino dominari, ita à seruo seruire est deriuatum. Sed hæc Grammaticis relinquamus. *Lib. 1 pandectarum de statu hominum De verborum signif lege 239. Lib. 1 cap. 36. tom. 4*

Pulchrè de his Augustinus tractās illud Sermonis Domini in monte, Si quis vult iudicio tecū cōtendere, & tunicam tuam tollere, *Omnia*, inquit, *intelliguntur, de quibus iudicio nobiscum contendi potest, ita vt à nostro iure in ius illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit. Sicuti est vestis, domus, fundus, iumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod vtrum etiam de seruis accipiendum sit, magna quæstio est. Non enim Christianum oportet sic poßidere seruum, quo modo æquum aut argentum, quamquam fieri poßit vt maiore precio valeat equus, quam seruus: & multo magis aliquod aureum, vel argenteum. Sed ille seruus si rectius, & honestius, & ad Deum colen-* *Pecunia nomine vt ait Hermogenianus non modo nūmi sed omnes res tam solida quam mobiles, & tā corpora quā iura continentur.*

dum accommodatius abs te domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest, qui eum cupit auferre, nescio vtrum quisque dicere audeat, vt vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam semetipsum diligere debet, cui ab omnium dominō, sicut ea que sequuntur ostendūt, etiam vt inimicos diligat, imperatur. Hactenus Augustinus.

Clarum est autem iure belli, neque monasterijs, neque ecclesijs, vllos seruos obtigisse, eo quod & monachi, & omnes ecclesiastici, cœlestis militiæ castris ita adscripti sint, vt nihil commune habeant cum terrena militia. Iuxtà illud, Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Hanc enim lectionem multi Latini codices habent & veteres Patres agnoscunt, etsi Græci Deo omittant.

Quod igitur Canonici & monachi multo tēpore multos seruilis conditionis homines in suis familijs possederint, factum esse ex pia & liberali donatione non est ambigendum.

Valde enim vsitatum erat apud maiores nostros, vt vel vltimæ voluntatis dispositione, aut quando ad monasticam, vel Canonicam, vitam, transibant, seruos suos & ancillas, monasterijs, vel ecclesijs, offerent, commoti ad id faciendùm tum pietate erga ecclesiam Christi, tum pio ac paterno affectu erga sua mancipia, quibus post mortem suam bonos patronos, aut dominos, dare cupiebant, vt quicquid ab illis vtiliter pijs locis impenderetur, & quicquid vicissim à sanctis communitatibus rependeretur, hoc totum in multiplex animarum remedium eis cederet.

2 Tim. 2.

Hinc

Hinc multa de ecclesiarum seruis, (quorum typus in tabernaculo veteris testamenti, vt in secundo libro Concilij Aquisgranensis notatum est, præcessit) in sacris Canonibus leguntur. Inter quæ illud est apud Gratianũ, *Iniustum videtur & ineptum vt mãcipia, quæ fideles viri seu fœminæ, pro redemptione animæ suæ, Deo, & sanctis eius, consecrauerint, cuiuscunque muneris precio, vel commutationis commercio, iterum in sæcularem seruitutem redigantur, cum canonica auctoritas seruos fugitiuos tãtum-modo distrahi permittat. Et ideo omnes rectores ecclesiarum summopere caueant, ne vnius eleemosyna, alterius peccatum fiat.* Cap. 3 in tomo. 3 Conc. Causa 12, quæst. 2.

Suo tamen exemplo docuit Gregorius magnus seruos ecclesiarum aliquando donatione trãsferri posse in eos qui ecclesiasticis vtilitatibus deseruiũt. Qua de re vnam ex eius epistolis integre adscribam *Gregorius Theodoro consiliario. Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, vt qui se voluntarijs obsequiorum necessitatibus sponte subijciunt, digne nostris prouisionibus consolentur. Quia igitur te virũ eloquentissimũ, consiliariũ nostrũ, mancipiorum cognouimus ministerio destitutũ ideo puerũ nomine Acosinnm, natione Siculũ, iuri dominioque tuo dari, tradiq́ʒ, præcipimus. Quem quoniam* Lib. 2, epi. 18. indi. 11 Vide & sequentem epistolam, 35, & lib. 10 epi. 53.

traditũ ex nostra volũtate iam poßides, huius te necesse fuit pro futuri temporũ testimonio, ac robore largitatis, authoritate fulciri, quatenus Domino protegente securo eum semper, & sine vllius retractatione, quippe vt dominus, valeas poßidere. Neque enim quemquã fore credimus, qui tã paruam largitatem pro tua tibi deuotione concessam, desideret vel tentet vllo modo reuocare: cum vno eodemque tempore, & verecundum sit à decessoribus bene gesta resoluere, & verecundum sit docere cæteros in sua quandoq; resolutoriam proferre largitate sententiam.

Hactenus Gregorius, suis verbis clare indicans non potuisse præfectos ecclesiarũ, & monasteriorum, pro suo libito seruos ecclesię, aut alienare, aut manu-mittere. Quod dilucida definitione Patres Toletani Concilij postmodũ decreuerunt, aut potius iam antea decretũ, hunc in modũ renouarũt: *Si illi qui nulla ex rebus suis pauperibus Christi distribuunt, æterni iudicis voce in futuro condemnabuntur: quanto magis hi qui auferunt pauperibus, quæ non dederunt? Quapropter Episcopi, qui nihil ex proprio suæ Ecclesiæ Christi compensauerunt, hanc diuinam sententiam metuant, & libertos ex familijs Ecclesiæ ad condemnationem suam facere non præsumant. Impium est enim vt qui res suas Ecclesiæ Christi non contulerit, damnum inferat, & ius ecclesiæ alienare contendat. Tales ergo liber*

Conc. Toletanũ 4, cap. 66.

tos

tos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad ius Ecclesiæ reuocabit, quia non eos æquitas, sed improbitas, absoluit. Et iterum. *Episcopus qui mancipium iuris ecclesiæ, non retento ecclesiastico patrocinio, manu-mitti desiderat, duo meriti eiusdem & peculij coram concilio ecclesiæ, cui præeminet, per commutationem, subscribentibus sacerdotibus offerat, vt rata & iusta inueniatur diffinitio commutantis.* Cap. 67.

Belgicas ecclesias multo tempore, more reliquarum, possedisse seruos, & ancillas.

Caput XVII.

NOn est autem necesse in his, quæ ex sacrorum Canonum lectione doctis viris obuia sunt, prolixum esse. Cæterum Belgis nostratibus non perinde notum est in eorum ecclesijs similiter vsum mancipiorum per multa tẽpora perdurasse. Quod tamen ex membranis, literis, & codicibus, multorum monasteriorum, & collegiatarum ecclesiarum, infinitis propemodũ exemplis declarari potest, & in gratiã eorum, qui ad hæc non attenderunt, pauca proferre non grauabor. *Ex chronicis Iperij, cap. 16, & 17.*

In primis diui Bertini monasterium habet literas in quibus Rodualdus nobilem filium suum Megenfridum monasterio obtulit, sub abbate sancto Hum-

ctoHumfrido, cū parte hereditatis, & quatuor mā cipijs. Cui donationi postea super addidit, anno octingentesimo sexagesimo septimo, marsum vnū, cū seruo vno, vxore, & liberis. Rursus. Macarius & Gondradá, eius vxor, Cameraci ante altare sanctę Mariæ, Idibus Aprilis, anno octingentesimo octuagesimo quinto, donationem fecerunt multarum possessionum: inter quæ erant mancipia vtriusque sexus centum quinquaginta. En duo exempla, vnum de mācipijs monasterij, alterum de mancipijs donatis cathedrali ecclesiæ Cameracensi.

Ex Chro. Camerēsi in Ioanne.

Addam & alia dio posteriora. Affligenium monasterium ordinis sancti Benedicti, literas habet Godefridi Louaniensis, in quibus Dux ille Bertam, mulierem suæ familiæ, cum pueris suis, sancto Petro in Affligeniensi ecclesia liberaliter dedit, pro animæ suæ & parentum remedio, vt ipsa per succedentia tempora abbati & ecclesiæ, cum pueris suis, in perpetuum seruiat. Actum, cum sigilli impressione, & testium astipulatione, anno millesimo centesimo septuagesimo quinto.

Ex libro literarum Affligenij.

Simili, imo largiori, pietate, Canonici Louanienses, in basilica diui Iacobi residentes, à suo fundatore acceperunt sexaginta mancipia. Si enim liberalitas fuit Godefridi Ducis, dum Affligeniensi ecclesię donaret vnam ancillam, cum suis pueris, maioris liberalitatis argumentum est donatio mancipiorum sexaginta. Cum enim Radulphus, vir nobilis, eiusque coniunx, prole carentes, sanctæ Mariæ, & sancto Lantberto, ad eius altare Leodij obtulissent suas possessiones, ad vsum duodecim Canonicorum, Ay-curiensium, qui post erectam Louanij Vniuersitatem, ad ecclesiam

Ex fundatione Capituli Ay-curiensis.

Iacobi

Iacobi Zebedæi sunt translati, donationem illam, & fundationem Canonicorum, episcopus in breues redegit literas, quarum initium est, *Reinardus Leodicensium pastor indignus*. Nomina testium subscribuntur circiter viginti, qui omnes fere erant Præpositi, Archidiaconi, & Comites; ex prima videlicet dignitate, cleri, & nobilitatis. Deinde subijcit Episcopus grauissimam obtestationem, ne quis successorum audeat quicquã de rebus supra-dictis vsurpare, aut inde precariam facere Postea concludit. *Subscribuntur etiã in eadem astipulatione mancipia numero sexaginta. Datum in vrbe Lutgia, anno millesimo trigesimo sexto*. Quæ verba non sunt intelligenda quasi mancipiorum nomina ad testificandum fuerint asscripta. Hos enim infimæ sortis homines à testificando Iura repellunt. Neque solent in huiusmodi literis testes inscribi, nisi quarum nomina apud posteritatem testificationi non solum monumento, sed etiam splendori, essent. Quare subscripta fuerunt mancipiorum nomina propter donationem. Cum enim omnium suarum possessionum Christum instituerent heredem, nomina mancipiorum, quæ in illa donatione sanctæ Mariæ & sancto Lamberto, ad eius altare, obtulerunt, exprimenda iudicauerunt.

Ecclesias aliquando motu pietatis emisse seruos à barbaris.

Caput XVIII.

Ex

EX pia itaque & liberali donatione Ecclesias multos possedisse vtriusque sexus seruilis cõditionis homines, non est ambigendum. Au vero ipsæ aliquando ad possessiones locupletandas homines emerit, non ausim dicere. Mihi probabilius est eos hoc non fecisse, excepto tamen intuitu religionis, quando videlicet eos propter religionem è barbarorum iugo eripere voluerunt. Sicut enim feruente charitate Christiani captiui sæpe ab Ecclesijs ex potestate hostium fidei redimebãtur, ita etiam videntur aliquando ex infidelium potestate, persoluto pretio, eorum seruos vel Christianos, vel qui Christiani fieri cupiebãt, exemisse, & in suum ius transtulisse. Qua de re mihi occurrit exemplum à Gregorio magno demandatum Vitali defensori. Ei enim in breui epistolio

Lib. 9, ep. 18. sequentia scripsit. *Bonifacium præsentium portitorem, notarium nostrum, ad hoc nos experientia tua illuc trãsmisisse cognoscat, vt in vtilitatem parochiæ barbaricinæ debeat mancipia comparare. Et ideo experientia tua omnino & studiose, soliciteque, concurrat, vt & bono pretio, & talia debeat comparare quæ in ministerio parochiæ vtilia valeant inueniri.* Barbaricina autem mancipia eum hoc loco vocare quæ sunt barbara, & a Christi seruitio aliena, notum est, cum aliunde, tum ex anteriore epistola, cuius inscriptio est

Greg. li. 3, epist. 25, & 27, lib. 9. epi. 17. *de barbaricinis conuertendis.* In qua præsidi Sardiniæ scribit, *Quia multi de barbaris prouincialibus Sardiniæ ad Christianam fidem dicentur, Deo propitio, deuotissime festinare, magnitudo ve-*

do vestra studium suum hac in causa decenter accommodet, & fratri & coepiscopo nostro Victori in conuertendis baptizandisque eis studiose concurrat.

Immo idem Gregorius Candido presbytero, eunti ad patrimonium sancti Petri, quod erat in Gallijs, iniunxit, vt ex solidis quos acciperet, compararet vestimenta pauperum, vel paganos pueros Anglos, qui ab annis decem & septem, vel decem & octo erant, vt in monasterijs dati, Deo proficerent. *Lib. 5, epi 10, & li. 2 vita c. 46*

Christianos valde benignos fuisse erga suos seruos.
Caput XIX.

SI autem à crudelitate & inhumanitate infidelium hominum, quorum quidam seruos non secus quam pecudes tractabant, oculos nostros auertamus, & ad veteres Christianorum mores respiciamus, non mirabimur Ecclesias & monasteria multis sæculis seruos & ancillas possedisse. Si enim à quocunque Christiano domino exigebatur illud quod Paulus ad Ephesios scribit, vt domini eadem faciant seruis, congratulari oportuit, nō inuidere, Christianis seruis, quod illis tales obtingerent domini, qui magis eorum quærerent salutem, quam seruitium. *Eph. 6.*

Seruorum enim quale fuerit seruitium, Paulus Apostolus, tum alibi, tum in epistola ad Ephesios describit. *Serui,* inquit, *obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis ve-* *Ephes. 6.*

dis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntatn seruientes, sicut domino, & non hominibus, scientes quoniam vnusquisque quodcunqne fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.

Quid autem viciſſim domini repéndere debeăt ſuis ſeruis, ſubijcit. *Et vos domini eadem facite illis.* Eadem, ſecundum proportioné. Quomodo vos eos cupitis bonos & fideles ſeruos habere, ſimiliter & vos ijs, ſecundum quod iuſtum & æquum eſt, boni domini ſitis dicente Eccleſia-

Col. 3. ſtico: *Si est tibi seruus, sit tibi, quasi anima tua.*

Eccl. 33. Sequitur apud Apoſtolum, *Remittentes minas, scientes quia & illorum & vester dominus, est in cælis: & personarum acceptio non est apud eum.* Quaſi dicat. Idem eſt omnium dominus, ſub quo

Rom. 10. conſerui eſtis, ideoque & te oportet miſereri con-

Matth. 18 ſerui tui. Hinc legitur in Apoſtolicis conſtitutionibus apud Clementem. *Dominus qui Chri-*

Lib. 4. capite 11. *stianum famulum habet, saluo famulatu, diligat eum tanquam filium, & tanquam fratrem, propter fidei communionem.* Et in alio libro. *Ne*

Lib. 7, capite 14. *in amaro animo iubeas famulo tuo, aut ancillæ, eidem Deo confidentibus, ne aliquando gemant aduersus te, & irascatur tibi Deus.*

Non esse contemnendam sortem seruorum, ex Saturnalibus Macrobij, ethnici scriptoris.

Caput XX.

Quid

QVid autem hæc de Christianis scribo, cum etiam inter eos qui Christum non nouerũt, multi seruorum suorum se conseruos esse agnouerint, & se ab eis non timeri, sed coli, & amari, voluerint? Quod ex Macrobij, viri Consularis, & inter paganos illustris, Saturnalibus primæ diei conuiuijs, huc non importune adferam; ad eruditionem & confusionem quorundam Canonicorum, qui aliquando nimio imperio & ferocitate ministris suis abutuntur, quos tamẽ neque seruos, neque libertos, possident. Et quid de ministris dico? audent aliquando iram furoremque effundere, veluti domini, in inferiores suæ ecclesię presbyteros, in Sacellanos, & Vicarios. Qua in reã suo honori, suæque dignitati, consulant discant etiam à gentibus.

Refert apud Macrobium Prætextatus, *Cecropem instituisse vt decimo quarto Calendarũ Ianuariarum, qui Opalibus inter Saturnalia deputatur, patres familiarum & frugibus & fructibus iam coactis, paßim cum seruis vescerentur, cum quibus patientiã laboris in colendo rure tolerauerant. Delectari enim Deum honore seruorum, contemplatu laboris.* Tunc Euangelus. *Hoc quidem, inquit, iam ferre non possum, quasi curent Diuina de seruis, aut sapiens quisquam domi suæ contumeliam tam fædæ societatis admittat.* *Lib. 1 Saturnal. cap. 10.* *Hic cũ omnes exhorruissent, Prætextatus. Euãgele, inquit, iocóne an serio putas esse hominũ genus quod Dij immortales nec cura sua, nec prouidentia, dignentur* *Cap. 11.*

aliquoties appellemus. Quod nonnulli putent primo vsitatum fuisse à Plinio secundo in familiaribus ad Traianum Augustum epistolis, Sed hanc phrasin etiam paulo ante crebro vsurpatam fuisse indicant carmina Martialis lubrici poetæ,

Cum voco te dominum, noli tibi Cinna placere;
Sæpe etiam seruum sic ego dico meum.

& rursus.

Libro 5, epigr: 58.

Mane salutaui vero te nomine, casu,
Nec dixi dominum, Cæciliane, meum.
Quanti libertas constet mihi tanta, requiris?
Centum quadrantes abstulit illa mihi.

Libro 6, epigr. 88.

Auctor est etiam Seneca libro I epistolarum occurrentes dominos salutari, cum eorum nomina aut ignorantur, aut non occurrunt. Hæc autem phrasis longe receptior facta est inter Christianos, qui ex sacris literis didicerunt honore inuicem præuenire: & à principe Apostolorum laudari sciunt Saram, quod propter solam maritalem præeminentiam Abraham dominum appellauerit. Certe humilitatis discipulus facile in alijs quãtumcunque inferioribus aliquid inuenit, in quo eos superiores agnoscat & dominorum titulo veraciter honoret. Vnde etiam Augustinus episcopus scribens ad Mãdaurenses, in superstitioso idolorum cultu permanentes, non reformidauit eos vocare dominos prædicabiles, & dilectissimos fratres Et Tertullianus aduersus gentes, *Dicã plane Imperatorem dominum, sed more communi, sed quãdo non cogor vt dominum Dei vice dicam. Cæterum liber sum illi, dominus enim meus vnus est, omnipotens Deus æternus, idem qui & ipsius.*

Rom. 12.
1 Pet. 3.
Epist. 42.
In Apologetico.

Cur

Cur non-nulli domnus & domna dicant, pro dominus & domina.

Caput XV.

CAEterum Christiana simplicitas posterioribus aliquot sæculis, nihil metuens Grammaticorum regulas, aut ferulas, vt facile in titulis varietas nascitur, libentius honoratos viros, domnos quam dominos dixit. Quam simplicitatem, à Duranto episcopo Mimatensi ante trecentos annos inculcatam, Pius quintus, ordinis Prædicatorum, Pontifex maximus, in Breuiario Romano, quod ex decreto Concilij Tridentini restitutum est, remanere voluit. Passim enim in eo legitur, *Iube domne benedicere* : & in litanijs, *Vt domnum Apostolicum, & omnes ecclesiasticos ordines, in sancta religione conseruare digneris.* *Libro 5. rationales Cap. 2.*

Qua etiam voce nonnulli putãt, vsum esse Ouidium Nasonem, scribentem in elegijs, *Micellus de re metrica.*

At tibi progenies alti fortissima Domni
Venit in aduersos impetus ire viros : *Lib. 4 de Ponto, elegia 7.*

Sed ille poetica licentia propter metri necessitatem vocem, si modo ea, & non proprio alicuius nomine, vsus sit, contraxit.

Christiani vero, qui corrupta quam pura voce vti maluerunt, attenderunt in Scripturis sanctis passim de Deo dici, *Hæc dicit Dominus*, & similia. Itaque reuerentiæ caussa titulum illum Diuinæ maiestati relinquere maluerunt, quam eum transferre ad terrenos & carnales dominos, qui non sunt absolute domini, sed restrictum in

multis miserijs & paucorum annorum tempore dominium aliquod possident. Quod vix vmbra etiam si monarchia huius orbis foret, esse potest dominij illius quod est penes Dominum Deum nostrum. Quod idem dictum quoque intelligatur de alijs, qui non ob dominium, sed ob sacerdotium, aut alia ex causa, domini titulo honorantur. Reuerentiæ itaque causa Deum, Dominum: homines vero, domnos dixerunt. Prout testatur versiculus ille, maioribus nostris notissimus,

Cælestem, dominum: terrestrem, dicito domnum.

Eundem in modum, honoris summi causa super benedicta Deipara Virgo, domina dicitur, & festum assumptionis eius apud Hungaros honoris ergo non aliter nominatur quam dies Dominæ. Abbatissæ vero non dominæ, sed domnæ dici solent, vt Abbates, domni, sicut animaduertere licet ex multorum monasteriorum membranis, quarum quædam Gothicis literis sunt descriptæ, vt non sit absurdum, ab ijs Latinæ linguæ corruptoribus, hanc phrasin emanasse. Qua etiam Gregorius primus vtitur aliquoties in suo registro.

Chertuitius in vita Stephani regis, ad XX Augusti. Lib. 1 ep 6 libro 7. epist. 127.

Collegia Canonicorum multo tempore possedisse seruos.

Caput XVI.

SEd ad alia transeamus. Ex ijs quæ paulo ante dicta sunt, colligitur à Christo Saluatore nostro non damnatum esse quod possideantur seruilis conditionis homines, qui vel serui, vel mancipia dicuntur. *Quibus quod hac nomina in Latina*

tina lingua indita sint, bella fecerunt, ait Augustinus. *Qui enim, homo ab homine, superatus iure belli posset occidi, quia seruatus, seruus est appellatus: inde & mancipia, quia manu capta sunt.*

Eandem etymologiam seruorum paulo plenius explicant Iurisconsulti, apud quos legitur *Serui ex eo appellati sunt, quod Imperatores captiuos vendere, & per hoc seruare, nec occidere, solent.* Quoniam enim multi hostili odio in captiuos desæuiebant, eosque trucidabant, Romani Imperatores id prohibuerunt, ait Alciatus, iusseruntque vendi, non autem occidi. Vnde serui dicti sunt quasi seruarentur. Neque enim à seruiendo nomen habent: sed contra, sicut à domino dominari, ita à seruo seruire est deriuatum. Sed hæc Grammaticis relinquamus.

Pulchrè de his Augustinus tractãs illud Sermonis Domini in monte, Si quis vult iudicio tecũ cõtendere, & tunicam tuam tollere, *Omnia*, inquit, *intelliguntur, de quibus iudicio nobiscum contendi potest, ita vt à nostro iure in ius illius transeant, qui contendit, vel pro quo contendit. Sicuti est vestis, domus, fundus, iumentum, & generaliter omnis pecunia. Quod vtrum etiam de seruis accipiendum sit, magna quæstio est. Non enim Christianum oportet sic poßidere seruum, quo modo æquum aut argentum, quamquam fieri poßit vt maiore precio valeat equus, quam seruus: & multo magis aliquod aureum, vel argenteum. Sed ille seruus si rectius, & honestius, & ad Deum colen-*

In genes. ca. 153. & li. 19 de ciuit. dei cap. 15.

Lib. 1 pandectarum de statu hominum

De verborum signif lege 239.

Lib. 1 cap. 36. tom. 4

Pecunia nomine vt ait Hermogenianus non modo nũmi sed omnes res tam solida quam mobiles, & tã corpora quã iura continentur.

dum accommodatius abs te domino educatur, aut regitur, quàm ab illo potest, qui eum cupit auferre, nescio vtrum quisque dicere audeat, vt vestimentum eum debere contemni. Hominem namque homo tanquam semetipsum diligere debet, cui ab omnium domino, sicut ea que sequuntur ostendũt, etiam vt inimicos diligat, imperatur. Hactenus Augustinus.

Clarum est autem iure belli, neque monasterijs, neque ecclesijs, vllos seruos obtigisse, eo quod & monachi, & omnes ecclesiastici, cœlestis militiæ castris ita adscripti sint, vt nihil commune habeant cum terrena militia. Iuxtá illud, Nemo militans Deo, implicat se negotijs sæcularibus. Hanc enim lectionem multi Latini codices habent & veteres Patres agnoscunt, etsi Græci Deo omittant.

Quod igitur Canonici & monachi multo tẽpore multos seruilis conditionis homines in suis familijs possederint, factum esse ex pia & liberali donatione non est ambigendum.

Valde enim vsitatum erat apud maiores nostros, vt vel vltimæ voluntatis dispositione, aut quando ad monasticam, vel Canonicam, vitam, transibant, seruos suos & ancillas, monasterijs, vel ecclesijs, offerent, commoti ad id faciendum tum pietate erga ecclesiam Christi, tum pio ac paterno affectu erga sua mancipia, quibus post mortem suam bonos patronos, aut dominos, dare cupiebant, vt quicquid ab illis vtiliter pijs locis impenderetur, & quicquid vicissim à sanctis communitatibus rependeretur, hoc totum in multiplex animarum remedium eis cederet.

2 Tim. 2.

Hinc

Hinc multa de ecclesiarum seruis, (quorum typus in tabernaculo veteris testamenti, vt in secundo libro Concilij Aquisgranensis notatum est, præcessit) in sacris Canonibus leguntur. Inter quæ illud est apud Gratianũ, *Iniustum videtur & ineptum vt mãcipia, quæ fideles viri seu fœminæ, pro redemptione animæ suæ, Deo, & sanctis eius, consecrauerint, cuiuscunque muneris precio, vel commutationis commercio, iterum in sæcularem seruitutem redigantur, cum canonica auctoritas seruos fugitiuos tãtum-modo distrahi permittat. Et ideo omnes rectores ecclesiarum summopere caueant, ne vnius eleemosyna, alterius peccatum fiat.* Cap. 3 in tomo. 3 Conc. Causa 12, quæst. 2.

Suo tamen exemplo docuit Gregorius magnus seruos ecclesiarum aliquando donatione trãsferri posse in eos qui ecclesiasticis vtilitatibus deseruiũt. Qua de re vnam ex eius epistolis integre adscribam *Gregorius Theodoro consiliario. Ecclesiasticis vtilitatibus desudantes Ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, vt qui se voluntarijs obsequiorum necessitatibus sponte subijciunt, digne nostris prouisionibus consolentur. Quia igitur te virũ eloquentißimũ, consiliariũ nostrũ, mancipiorum cognouimus ministerio destitutũ ideo puerũ nomine Acosinnm, natione Siculũ, iuri dominioque tuo dari, tradiq́ue, præcipimus. Quem quoniam* Lib. 2, epi. 18. indi. 11 Vide & sequentem epistolam, 35, & lib. 10 epi. 53.

tos successor Episcopus absque aliqua oppositione ad ius Ecclesiæ reuocabit, quia non eos æquitas, sed improbitas, absoluit. Et iterum. *Episcopus qui mancipium iuris ecclesiæ, non retento ecclesiastico patrocinio, manu-mitti desiderat, duo meriti eiusdem & peculij coram concilio ecclesiæ, cui præeminet, per commutationem, subscribentibus sacerdotibus offerat, vt rata & iusta inueniatur diffinitio commutantis.* Cap. 67.

Belgicas ecclesias multo tempore, more reliquarum, possedisse seruos, & ancillas.

Caput XVII.

NOn est autem necesse in his, quæ ex sacrorum Canonum lectione doctis viris obuia sunt, prolixum esse. Cæterum Belgis nostratibus non perinde notum est in eorum ecclesijs similiter vsum mancipiorum per multa tẽpora perdurasse. Quod tamen ex membranis, literis, & codicibus, multorum monasteriorum, & collegiatarum ecclesiarum, infinitis propemodũ exemplis declarari potest, & in gratiã eorum, qui ad hæc non attenderunt, pauca proferre non grauabor. *Ex chronicis Iperij, cap. 16, & 17.*

In primis diui Bertini monasterium habet literas in quibus Rodualdus nobilem filium suum Megenfridum monasterio obtulit, sub abbate sancto Hum-

 cto Hum-

ctoHumfrido,cũ parte hereditatis,& quatuor mã cipijs. Cui donationi postea super addidit, anno octingentesimo sexagesimo septimo, marsum vnũ,cũ seruo vno,vxore,& liberis. Rursus. Macarius & Gondradá,eius vxor, Cameraci ante altare sanctę Mariæ,Idibus Aprilis,anno octingentesimo octuagesimo quinto, donationem fecerunt multarum possessionum:inter quæ ęrant mancipia vtriusque sexus centum quinquaginta. En duo exempla,vnum de mãcipijs monasterij, alterum de mancipijs donatis cathedrali ecclesiæ Cameracensi.

Ex Chro. Camerẽsi in Ioanne.

Addam & alia dio posteriora. Affligenium monasterium ordinis sancti Benedicti, literas habet Godefridi Louaniensis, in quibus Dux ille Bertam, mulierem suæ familiæ, cum pueris suis, sancto Petro in Affligeniensi ecclesia liberaliter dedit, pro animæ suæ & parentum remedio, vt ipsa per succedentia tempora abbati & ecclesiæ, cum pueris suis in perpetuum seruiat. Actum, cum sigilli impressione, & testium astipulatione, anno millęsimo centesimo septuagesimo quinto.

Ex libro literarum Affligenij

Simili, imo largiori, pietate, Canonici Louanienses, in basilica diui Iacobi residentes, à suo fundatore acceperunt sexaginta mancipia. Si enim liberalitas fuit Godefridi Ducis, dum Affligeniensi ecclesię donaret vnam ancillam, cum suis pueris, maioris liberalitatis argumentum est donatio mancipiorum sexaginta. Cum enim Radulphus, vir nobilis, eiusque coniunx, prole carentes, sanctæ Mariæ, & sancto Lantberto, ad eius altare Leodij obtulissent suas possessiones, ad vsum duodecim Canonicorum, Ay-curiensium, qui post erectam Louanij Vniuersitatem, ad ecclesiam

Ex fundatione Capituli Aycuriensis.

Iacobi Zebedæi sunt translati, donationem illam, & fundationem Canonicorum, episcopus in breues redegit literas, quarum initium est, *Reinardus Leodicensium pastor indignus.* Nomina testium subscribuntur circiter viginti, qui omnes fere erant Præpositi, Archidiaconi, & Comites; ex prima videlicet dignitate, cleri, & nobilitatis. Deinde subijcit Episcopus grauissimam obtestationem, ne quis successorum audeat quicquã de rebus supra-dictis vsurpare, aut inde precariam facere Postea concludit. *Subscribuntur etiã in eadem astipulatione mancipia numero sexaginta. Datum in vrbe Lutgia, anno millesimo trigesimo sexto.* Quæ verba non sunt intelligenda quasi mancipiorum nomina ad testificandum fuerint asscripta. Hos enim infimæ sortis homines à testificando Iura repellunt. Neque solent in huiusmodi literis testes inscribi, nisi quarum nomina apud posteritatem testificationi non solum monumento, sed etiam splendori, essent. Quare subscripta fuerunt mancipiorum nomina propter donationem. Cum enim omnium suarum possessionum Christum instituerent heredem, nomina mancipiorum, quæ in illa donatione sanctæ Mariæ & sancto Lamberto, ad eius altare, obtulerunt, exprimenda iudicauerunt.

Ecclesias aliquando motu pietatis emisse seruos à barbaris.

Caput XVIII.

Ex

Ex pia itaque & liberali donatione Ecclesias multos possedisse vtriusque sexus seruilis cõditionis homines, non est ambigendum. An vero ipsæ aliquando ad possessiones locupletandas homines emerit, non ausim dicere. Mihi probabilius est eos hoc non fecisse, excepto tamen intuitu religionis, quando videlicet eos propter religionem è barbarorum iugo eripere voluerunt. Sicut enim feruente charitate Christiani captiui sæpe ab Ecclesijs ex potestate hostium fidei redimebãtur, ita etiam videntur aliquando ex infidelium potestate, persoluto pretio, eorum seruos vel Christianos, vel qui Christiani fieri cupiebãt, exemisse, & in suum ius transtulisse. Qua de re mihi occurrit exemplum à Gregorio magno demandatum Vitali defensori. Ei enim in breui epistolio

Lib. 9, ep. 18. sequentia scripsit. *Bonifacium præsentium portitorem, notarium nostrum, ad hoc nos experientia tua illuc trãsmisisse cognoscat, vt in vtilitatem parochiæ barbaricinæ debeat mancipia comparare. Et ideo experientia tua omnino & studiose, soliciteque, concurrat, vt & bono pretio, & talia debeat comparare quæ in ministerio parochiæ vtilia valeant inueniri.* Barbaricina autem mancipia eum hoc loco vocare quæ sunt barbara, & a Christi seruitio aliena, notum est, cum aliunde, tum ex anteriore epistola, cuius inscriptio est

Greg. li. 3, epist. 25, & 27, lib. 9. epi. 17. *de barbaricinis conuertendis.* In qua præsidi Sardiniæ scribit, *Quia multi de barbaris prouincialibus Sardiniæ ad Christianam fidem dicentur, Deo propitio, deuotissime festinare, magnitudo ve-*

do vestra studium suum hac in causa decenter accommodet, & fratri & coepiscopo nostro Victori in conuertendis baptizandisque eis studiose concurrat.

Immo idem Gregorius Candido presbytero, eunti ad patrimonium sancti Petri, quod erat in Gallijs, iniunxit, vt ex solidis quos acciperet, compararet vestimenta pauperum, vel paganos pueros Anglos, qui ab annis decem & septem, vel decem & octo erant, vt in monasterijs dati, Deo proficerent. *Lib. 5, epi 10, & li. 2 vita c. 46*

Christianos valde benignos fuisse erga suos seruos.
Caput XIX.

SI autem à crudelitate & inhumanitate infidelium hominum, quorum quidam seruos non secus quam pecudes tractabant, oculos nostros auertamus, & ad veteres Christianorum mores respiciamus, non mirabimur Ecclesias & monasteria multis sæculis seruos & ancillas possedisse. Si enim à quocunque Christiano domino exigebatur illud quod Paulus ad Ephesios scribit, vt domini eadem faciant seruis, congratulari oportuit, nō inuidere, Christianis seruis, quod illis tales obtingerent domini, qui magis eorum quærerent salutem, quam seruitium. *Eph. 6.*

Seruorum enim quale fuerit seruitium, Paulus Apostolus, tum alibi, tum in epistola ad Ephesios describit. *Serui,* inquit, *obedite dominis carnalibus, cum timore & tremore, in simplicitate cordis ve-* *Ephes. 6.*

dis vestri, sicut Christo, non ad oculum seruientes; sed vt serui Christi, facientes voluntatem Dei ex animo, cum bona voluntatn seruientes, sicut domino, & non hominibus, scientes quoniam vnusquisque quodcunque fecerit bonum, hoc recipiet à Domino.

Quid autem viciſſim domini rependere debeāt ſuis ſeruis, ſubijcit. *Et vos domini eadem facite illis.* Eadem, ſecundum proportioné. Quomodo vos eos cupitis bonos & fideles ſeruos habere, ſimiliter & vos ijs, ſecundum quod iuſtum & æquum eſt, boni domini ſitis dicente Eccleſiaſtico: *Si eſt tibi ſeruus, ſit tibi, quaſi anima tua.* Sequitur apud Apoſtolum, *Remittentes minas, ſcientes quia & illorum & veſter dominus, eſt in cælis: & perſonarum acceptio non eſt apud eum.* Quaſi dicat. Idem eſt omnium dominus, ſub quo conſerui eſtis, ideoque & te oportet miſereri conſerui tui. Hinc legitur in Apoſtolicis conſtitutionibus apud Clementem. *Dominus qui Chriſtianum famulum habet, ſaluo famulatu, diligat eum tanquam filium, & tanquam fratrem, propter fidei communionem.* Et in alio libro. *Ne in amaro animo iubeas famulo tuo, aut ancillæ, eidem Deo confidentibus; ne aliquando gemant aduerſus te, & iraſcatur tibi Deus.*

Col. 3. Eccl. 33. Rom. 10. Matth. 18 Lib. 4. capite 11. Lib. 7, capite 14.

Non eſſe contemnendam ſortem ſeruorum, ex Saturnalibus Macrobij, ethnici ſcriptoris.

Caput XX.

Quid

QVid autem hæc de Christianis scribo, cum etiam inter eos qui Christum non nouerũt, multi seruorum suorum se conseruos esse agnouerint, & se ab eis non timeri, sed coli, & amari, voluerint? Quod ex Macrobij, viri Consularis, & inter paganos illustris, Saturnalibus primæ diei conuiuijs, huc non importune adferam; ad eruditionem & confusionem quorundam Canonicorum, qui aliquando nimio imperio & ferocitate ministris suis abutuntur, quos tamẽ neque seruos, neque libertos, possident. Et quid de ministris dico? audent aliquando iram furoremque effundere, veluti domini, in inferiores suæ ecclesię presbyteros, in Sacellanos, & Vicarios. Qua in re an suo honori, suæque dignitati, consulant discant etiam à gentibus.

Refert apud Macrobium Prætextatus, *Cecropem instituisse vt decimo quarto Calendarũ Ianuariarum, qui Opalibus inter Saturnalia deputatur, patres familiarum & frugibus & fructibus iam coactis, paßim cum seruis vescerentur, cum quibus patientiã laboris in colendo rure tolerauerant. Delectari enim Deum honore seruorum, contemplatu laboris.* Tunc Euangelus. *Hoc quidem, inquit, iam ferre non possum, quasi curent Diuina de seruis, aut sapiens quisquam domi suæ contumeliam tam fœdæ societatis admittat. Hic cũ omnes exhorruissent, Prætextatus. Euãgele, inquit, iocóne an serio putas esse hominũ genus quod Dij immortales nec cura sua, nec prouidentia, dignentur*

Lib. 1 Saturnal. cap. 10.

Cap. 11.

nentur? an forte seruos in hominum numero esse non pateris? Audi igitur quanta indignatio de serui supplicio cælum penetrauerit. Anno enim post Romam condito quadringentesimo septuagesimo quarto, Atronius quidam Maximus, seruum suum verberatum, patibuloque constrictum, ante spectaculi commissionem per circum egit. Ob hanc caussam indignatus Iupiter, Annio cuidam per quietem imperauit vt Senatui nunciaret non sibi placuisse plenum crudelitatis admissum. Quo dissimulante, filium ipsius mors repentina consumpsit: ac post secundam denunciationem, ob eandem negligentiam, ipse quoque in subitam corporis debilitatem solutus est. Sic demum ex consilio amicorum, lectica delatus, Senatui retulit, & vix consummato sermone, sine mora recuperata bona valetudine, curia pedibus egressus est. Ex Senatus itaq; consulto, & Menia lege, ad propitiandū Iouem additus est illis Circensibus dies, isque instauratitius dictus est. Vides quanta de seruo ad Deorum summum cura peruenerit. Tibi autem vnde in seruos tantum, & tam immane fastidium? quasi non ex ijsdem tibi & constent, & alantur, elementis, eundemque spiritum ab eodem principio carpant. Serui sunt, quos ius tuum vocas: immo homines. Serui sunt immo conserui. Si cogitaueris tantūdem in vtrosque licere fortunæ, tam tu illum videre liberum putes, quam ille te seruum.

Nescis

Nescis qua ætate Hecuba seruire cœperit, qua Crœsus, qua Darij mater, qua Diogenes, qua Plato ipse? Postremo, quid ita nomen seruitutis horremus? Seruus est quidem, sed necessitate: sed fortasse libero animo seruus est. Alius libidini seruit, alius auaritiæ, alius ambitioni, omnes spei, omnes timori. Et certe nulla seruitus turpior, quam voluntaria. At nos iugo à fortuna imposito subiacentem, tanquam miserum vilemque, calcamus, non patimur reprehendi. Non ergo fortuna homines æstimabo, sed moribus. Sibi quisque dat mores, conditionem casus assignat. Quemadmodum stultus est qui empturus equum, non ipsum inspicit, sed stratum eius, ac frænos, sic stultissimus est qui hominem aut ex veste, aut ex conditione, quæ modo vestis nobis circumdata est, æstimandum putat. Non est, mi Euãgele, quod amicum tantum in foro, & curia, quæras. Si diligenter atenderis, inuenies & domi. Tu modo viue cum seruo clementer, comiter quoque, & in sermonem illum, & non-nunquam in necessarium admitte consilium, Nam & nostri maiores omnem dominis inuidiam, omnem seruis contumeliam detrahentes, dominum, patrem-familias: seruos, familiares appellauerunt. Colant ergo te potius serui tui, mihi crede, quam timeant. Dicet aliquis, nunc me dominos de fastigio suo deijcere, & quodammodo ad pileum seruos vocare, quos debere dixi magis colere, quam timere. Hæc qui sense-

Persius satyra 5.

Hæc mera libertas, hanc nobis pilea donant.

rit, obliuiſcetur id dominis parum (non) eſſe, quod Dijs ſatis eſt. Deinde qui colitur, etiam amatur: non poteſt amor cum timore miſceri. Vnde putas arrogantiſſimum illud manaſſe prouerbium, quod iactatur, Totidem nobis hoſtes eſſe, quot ſeruos? Non habemus illos hoſtes, ſed facimus, cum in illos ſuperbiſſimi, contumelioſiſſimi, crudeliſſimi, ſumus, & ad rabiem nos cogunt peruenire deliciæ, vt quicquid non ex voluntate reſpōdit, iram furoremque euocet. Domi enim animos induimus tyrannorum, & non quantum decet, ſed quantum libet, exercere volumus in ſeruos. Nam (vt cætera crudelitatis genera prætereā) ſunt qui dum ſe menſæ copijs, & auiditate, diſtendunt, circumſtantibus ſeruis mouere labra, ne in hoc quidem vt loquantur, licere permittunt. Virga murmur omne compeſcitur, & ne fortuita quidem, ſine verberibus excepta ſunt. Tuſsis ſternutamentum, ſingultus, magno malo luitur. Sic fit, vt iſti de domino loquantur, quibus coram domino loqui non licet. At illi quibus non tantum præſentibus dominis, ſed cum ipſis ſermo erat, quorum os non conſuebatur, parati erant pro domino porrigere ceruicem & periculum imminens in caput ſuum vertere.

* Deo habet Seneca.

Recenſet deinde vtcunque prolixe exercitas in ſeruili pectore virtutes, & multos ex ſeruis fideles, prouidos, fortes, & philoſophos, extitiſſe.

Refert etiam ancillas ſub nomine dominarum ad hoſtes, ſumpto habitu matrum-familias, & virgi-

virginum, iuisse. Quæ in castris distributæ viros plurimo vino prouocauerunt Quos soparatos, signo accepto, Romani repentina incursione superarunt. Et memor beneficij, Senatus, omnes ancillas memor iussit emitti, dotemque eis ex publico fecit, & ornatum, quo tunc erant vsæ, gestare concessit, diemque festum esse ancillarum Nonis Iulijs voluit, tam vulgo notum, vt nec origo, nec caussa celebritatis, ignota sit. Hæc sunt quæ apud Macrobium leguntur, quæ etsi aliquoties ethnica sint, multa tamen continent, quæ ad erudiendū Christianos, non visa sunt importuna.

Christianos, seruos suos vocasse honestis vocabulis seruulos, pueros, & familiares.

Caput XXI.

FVit autem maioribus nostris sub Christi suaui iugo viuentibus, immo & Christum ignorantibus, in vsu, vt sui iuris seruos non contemptim seruos aut mancipia dicerent, sed libentius mollioribus vterentur vocibus. Et in primis, blandè, eos seruulos duxerunt. Qua voce, post Ciceronē & alios ethnicos scriptores, aliquoties vtitur sanct⁹ Augustin⁹ in secūdo sermone de cōmuni vita clericorū. *Diaconus*, inquit, *Hipponēsis de laboribus suis, antequam esset clericus, emerat aliquos seruulos: hodie illos in conspectu vestro manumissurus est Episcopalib⁹ gestis.* Et rursus de alio diacono. *Aliqui seruuli eius reliqui fuerant, iam quidem in monasterio viuentes, quos tamen gestis*

In exhortatione ad virgines. *Ecclesiasticis manu-missurus est hodie.* Similiter Ambrosius. *Martyri nomen Agricola est, cui Vitalis seruus fuit antè, nunc consors & collega martyrij. Praecessit seruus, vt prouideret locum: secutus est dominus, securus quod fide seruuli iam inueniret paratum.*

Nec tantum seruulos, sed etiam pueros dixerunt. Quod ante Christi Saluatoris tempora veteribus Patriarchis vsitatum fuisse idem Ambrosius & animaduertit, & erudite annotauit, in libro primo de Abraham, vbi explicat eos etiam in ingrauescente ætate dictos esse seruulos, & pueros. *Quod*, ait, loquẽs de Abraham, *boni est patris, debuit vxorem prouidere filio: sed propter oraculũ Dei non poterat redire eo, vnde iussus erat exire. Habitabat autem in terris Chananeorum, ex quorum genere legitimam successionem sibi quaerere fugiebat. Et vocauit puerum seniorem domus suæ, & dixit ei, vt iret in Charram, & de proximis suis vxorem quaereret iuniori domino suo. Disce hinc quod etiam senioris ætatis seruuli pueri dicantur à dominis, vel à quibuscunque potioribus. Vnde & quidam poeta hoc sequendum putauit, siue in eorũ vsum, qui sibi docti & sapientes videntur, ipse hoc reperit, siue de nostris ipse transtulit, siue translatum inuenit.*

Virgil æcloga 1. *Pascite, vt ante, boues pueri: submittite tauros*

Vnde & pueros dicimus quando seruulos significamus, non ætatem exprimentes, sed conditionem.

Aduer-

Aduerte nunc virtutem boni patris-familias, & cō sidera primum quod munus, & cui mandet, vt & tu ita instituas seruulos, vt liberis tuis paternum affectum deferant, officia exequantur. Inuentus est de seruulis senior, tamen qui ad vxorem prouidendam domino iuniori eligeretur.

Tertio, dicebantur familiares. Quod etiam inter paganos homines vsitatum fuisse testatur celebris ea sententia quæ est apud Senecam in epistolis, & ex eo apud Macrobium in Saturnalibus, vnde eam paulo ante citauimus. Præstat tamen eam hoc loco repetere, quam ad anteriora remittere, tū quod breuis sit, tum quod ad institutum nostrum confirmandum non facile opportunius aliquid adferri posset Sententia aūt hæc est. *Nostri maiores omnem dominis inuidiam, omnem seruis cōtumeliam, detrahentes, dominū patrem-familiæ seruos, familiares, appellauerunt* Et apud Ciceronem legitur, *Quod facilius est, quam probari ijs qui Latine sciunt, in vno seruulo familiæ nomen non valere?* Quot autem familiam fecerint, dicit Apuleius: Quindecim libri homines populus est: totidem serui, familia, totidem vincti, ergastulum. Ex quo apparet gentiles dominos frugi seruos & mediastinos familiares suos agnouisse, nō autem tertium seruorum genus, quo in neruo & compedibus & ergastulis, vincto vtebantur.

Seneca li. 6, ep. 47. Macrobius l. 1, cap 10.

Pro Cecinna, circa medium.

Apolo. 1.

Canonicos & monachos vocasse seruos suos, de familia sanctæ Mariæ, sancti Petri, & similibus nominibus.

Caput XXII.

Surius in vita S. Gerardi, ad 24 Septẽ. At vero serui & ancillæ, monachorum & Canonicorum collegijs donati, non simpliciter familiares, sed digniore honoris titulo de familiia ecclesiæ, de familia sanctæ Mariæ, sancti Petri, sancti Lamberti, aut similibus nominibus, dicebantur. Quomodo etiam Stephanus rex Pannoniam suam appellauit familiam sanctæ Mariæ. Sicut autem possessiones Romanis Pontificibus, aut Romanæ ecclesiæ, pia largitione datæ, peculiari honore patrimonium sancti Petri dicũtur; sic etiã quæ ecclesijs & monasterijs sunt collata, ea peculiariter nomen accipiunt à patrono loci. Exempli gratia. Affligeniense monasterium est monasterium sancti Petri: ideoque seruilis conditionis homines, qui illi monasterio donabantur dicebantur de familia sancti Petri. *Ad diem 19 Martij* Eum in modum meminit Nodgerus episcopus, in fine libri primi de Landoaldo archiepresbytero, mulieris, ancillæ sancti Bauonis. Obierat autem ante aliquot sæcula illustris princeps sanctus Bauo. Ideoque quod dicitur ancillæ sancti Bauonis, aliter intelligi non potest, quam ipsam fuisse ancillam celeberrimi illius monasterij quod Bauo Gandaui construxit, quodque postmodum à fundatoris sui, cum ille iam in cælis regnaret, patrocinio, ab eo nomen accepit. Nolo autem lectoris animum multitudine exemplorum grauare, cum tantum pauca hoc quod dicimus illustrent, quantum multa.

Est & alia huius locutionis ratio, ex ipsis donationibus satis obuia. Neque enim simpliciter donabant seruos suos, aut alios possessiones, huic vel ecclesiæ, vel monasterio, sed in altari ea offerre solent Deo, & patrono ecclesiæ, vel monasterij.

Vt videre licet in ijs donationibus quarum paulo superius memini, Capite duodecimo.

Familiæ nomen latius sese extendere quam ad seruos.

Caput XXIII.

NVllus vero tam simplex sit, & vocum ignarus, vt putet familiæ nomen tantum pertinere ad famulitium seruorum, & ancillarum Exempli caussa. Legitur in Chronicis Cameracensis ecclesiæ, puer Heribertus de familia sancti Gaugerici, restitutus esse pristinæ sanitati per Ioannem, sanctum Episcopum Cameracensem. Ex familiæ nomine asserere ipsum fuisse seruum ecclesiæ Canonicorum sancti Gaugerici, & periculosum foret, & temerarium, cum, præter seruos, & liberti, & alij pertinere solcant ad familias ecclesiarum.

Vnde & nostræ ecclesiæ, etsi nullos habeant aut seruos, aut libertos, habent tamen familias. Quod satis clarum est ex iuramento quod Philippus, Catholicus rex, inquantum Brabantiæ Dux, more antecessorum suorum ecclesiæ Louaniensi, hunc in modum præstitit. *Nos N. iuramus & promittimus ad hæc sacrosancta Euangelia, quod ab isto die inantea erimus fideles ecclesiæ nostræ sancti Petri Louaniensis, ac alijs eeclesijs nostri Ducatus Brabantiæ Et obseruabimus, faciemusq; obseruari, iura, priuilegia, statuta, consuetudines,*

possessiones, & libertates, dictarum ecclesiarum, & hominum spectantium ad familiam beati Petri Louaniensis antedicti, prout prædecessores nostri Duces Ducatus Brabantiæ fecerunt.

Notant quidem Grammatici familiã ab Osco verbo famul deduci, quod seruum significat, vsum tamen obtinuisse, vt etiam liberi, & quicunque in eadem domo viuerent, familiæ nomine comprehenderentur.

Crescente religione Christiana paulatim decreuisse numerum seruorum.

Caput XXIIII.

1 Cor. 7. Est autem ab Apostolo Paulo scriptum, *Vnusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat. Seruus vocatus es? non sit tibi curæ: sed & si potes fieri liber, magis vtere. Qui enim in Domino vocatus est seruus, libertus est Domini. Si liber vocatus est, seruus est Christi. Vnusquisque in quo vocatus est, frater, in hoc permaneat apud Deum.*

Sed cum hæc sit Apostoli exhortatio, vnde factum est quod paulatim crescente religione inter Christianos, numerus decreuerit seruorum, adeo vt vix vsquam inter Christianos Christiana sint mancipia?

Factum est istud non importunitate seruorum, sed pietate dominorum. E quibus multi cum recogitarent seruos suos, eodem pretio redemptos esse à

esse à Christo, quo ipsi sunt redempti, & proinde cum dominis suis esse in Christo & conseruos, & confratres, noluerunt eos in seruili sub se conditione manere.

Quid, quod multi potentes Christiani, dum suas familias ad Christum trahere cupiebant, omnes suos seruos, qui Christo nomina sua dare volebant, libenter ingenuitate donabant. Inter quos emicuit illustris vir Hermes, præfectus Vrbis, quē Alexander Papa baptizauit, cum vxore, sorore, filijs, & cum ijs pariter mille ducentos quinquaginta seruos eius, eorumque vxores, & liberos. Quos quidem Hermes, in die sancto Paschæ, prius libertate donatos, ita demum curauit baptizari, baptizatisque multa est dona largitus. Eundem in modū gemini fratres, Seruatius & Prothasius res suas dederunt pauperibus, & familiolæ suæ, quam etiā ingenuam fecerunt, vt testis est apud Ambrosium Philippus, qui eos capite cæsos furtim sepeliuit. *Beda in Martyroro. Et gesta Alexandri.* *Ad 19 Iunij.*

Sic paulatum inter Christianos seruorum iugum decreuit. Quanta enim soleat esse seruorum multitudo, ex eorum bellis agnosci potest. Exclamat Lucius Florus, *Quis æquo animo ferat in principe gentium populo bella seruorum?* Et tamen Romanos seruilium armorum dedecus aliquoties exercuit. Primum seruile bellum inter initia vrbis in ipsa vrbe tentatum est. Sed hic tumultus magis fuit, quam bellum. Mox imperio per diuersa terrarum occupato, quis crederet Siliciam multo cruentius seruili, quam Punico bello, esse vastatam? Hic ad cultum agri frequentia ergastula, catenatique cultores, materiam bello præbuerunt, qui iure belli, refractis ergastulis, quadraginta amplius milium fecerunt exercitium, castella, *Ex 3 libro Flori. cap. 19.*

oppida, & vicos, mirabili direptione vastarunt. Vixdum insula respirauerat, cum Athenio Pastor Calix, interfecto domino, familiam, ergastulo liberatim, sub signis ordinat, & non minorem conflat exercitum, acriusque viros, castella, oppida, diripit, In bello denique, quod Spartaro duce concitatum, est, serui militauerunt, gladiatores imperauerũt, Illi infimæ sortis homines, hi pessimæ, auxere ludibrio calamitatem, Serui ad vexillum, & ad auxilium vocati, statim decem amplius millia coierunt, & ferro ergastulorum recocto, gladios ac tela fuderunt, Nec villarum, aut vicorum, vastatione contenti, Nolam atque Nuceriam, Turios, atque Metapontum, terribili strage populati sunt.

Idem cap 20.

Iam ex paucissimis, ait Augustinus, *hoc est, minus quam septuaginta gladiatoribus, quemadmodum bellum seruile contractum sit, ad quantum numerum, & quam acrem, ferocemque, peruenerit: quos ille numerus Imperatores populi Romani superauit, quas & quomodo ciuitates regionesque vestauerit, vix qui scripserunt. satis explicare potuerunt. Neque id solum fuit seruile bellum, sed & Macedoniam prouinciam prius seruitia depopulata sunt, deinde Siciliam, oramque maritimam.*

Lib. 3 de ciu. Dei, cap. 26.

Sed vt seruorum rebellionem præteream, scribit Iustinus, Parthos exercitum, non vt aliæ gentes liberorum habere, sed pari cura eos habere seruos, (quorum manu-mittendi potestatem nõ permittunt) ac liberos. Denique Antonio bellum eis inferenti, cum quinquaginta milia equitum occurrerent, solos octingentos liberos fuisse.

Iust. libro 41.

Imo & Romani aliquando, vrgente necessita-

te,

te, seruitia per sacramentum militiæ liberarunt. dictique sunt huiusmodi milites, in bello Punico volones, & voluntarij, quia hoc sponte, voluerunt. Scribit Lucius Hannons legiones magna ex parte volonum habuisse, qui iam alterum annum libertatem tacite mereri, quam postulare, malebāt. Qui practa victoria pileati, aut lana alba velatis capitibus, epulati sunt. Dignaque res visa est, vt simulacrum celebrat eius diei Grachus, postquam Romam redijt, pingi iuberet in æde libertatis. Ex huiusmodi sane locis perspici potest multam aliquādo fuisse seruorū multitudinē, quæ per Christianā pietatem tempore gratiæ multum decreuit.

Canonicos ex familia ecclesiæ multos aggregasse clericos.

Caput XXV.

DEINDE quod raciores sint inter Christianos serui, factum est etiam ex operosa deuotione Canonicorum, & monachorum. Cum enim passim Christiani cum reliquis suis possessionibus, ecclesijs Dei etiam seruos offerret, viri Ecclesiastici eos quos Deo oblatos esse sciebant, malebāt, quando idonei erant, Diuino atq; Ecclesiastico seruitio mācipare, quā sibi in illiberali seruitio retinere. Vnde in liberalibus studijs pueros sibi donatos, etsi seruilis conditionis erāt libenter formabant. Quod tam vsitatum fuit inter maiores, vt in Aquisgranensi Cōcilio necesse fuerit inhibere, ne tantum ex familia Ecclesiastica in clericos Ecclesiæ assumerētur. Hæc enim sunt constitutionis verba. *Sunt nonnulli qui tantum ex familia Ecclesiastica clericos in sibi commissis congregant Ecclesijs. Et hoc ideo facere viden-* Cap. 119.

tur,

tur, vt si quando eis aliquod incommodum fecerint Cap. 119. *aut stipendia opportuna subtraxerint, nihil querimoniæ contra se obijcere præsumant, timentes scilicet, ne aut seuerissimis verberibus afficiantur, aut humanæ seruituti denuo crudeliter addicantur. Hoc autem non ideo dicitur, vt ex familia ecclesiæ probabilis vitæ in congregatione non sint admittendi, præsertim cum apud Deum non sit personarum acceptio: sed potius, propter quam intulimus, occasionem nullus prælatorum, seclusis nobilibus, viles tantum in sua congregatione admittant personas.*

Ecclesiastici famuli bene probati, potuerunt ab humana seruitute ad districtiorem transire seruitutem monasticam.

Caput XXVI.

Simili quoque feruore solent monachi seruos ecclesiasticos, tam suos, quam alios, à mundana seruitute, quos probatos agnouerant, ad spiritualem monasticæ vitæ seruitutem, sine acceptione personarum, libenter transferre. Quod tamen absq; præuia probatione faciendum nõ esse, *Lib. 4 registri, cap. 88.* docet nos synodalis Gregorij magni constitutio, cui post eũ viginti & vnus episcopi, & presbyteri Romanæ ecclesiæ triginta quatuor, sua nomina subscripserunt. *Multos*, inquit, *de ecclesiastica familia nouimus ad omnipotentis Dei seruitium*

festinare

festinare, vt ab humana seruitute liberi, in diuino seruitio valeant in monasterio conuersari: quod si passim admittimus, omnibus fugiendi Ecclesiastici iuris dominium occasionem præbemus. Cum vero festinantes ab omnipotentis Dei seruitio incaute retinemus, illi inuenimur negare quædam, qui dedit omnia. Vnde necesse, vt quisquis ex iuris Ecclesiastici seruitute ad Dei seruitium conuerti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus, & si mores eius, atque cōuersatio, bono desiderio eius testimonium ferunt, absque retractatione seruire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, & ab humano seruitio liber recedat, qui diuini obsequij districtiorem appetit seruitutem.

Manu-missionis formula ex Gregorio.
Caput XXVII.

MVltum etiam inter Christianos decreuit numerus seruorum per manu-missiones, quæ cum antea inter paganos ob merita bona vsitatæ fuerint, multo tamen celebriores eas fecit Christiana pietas. Quod ex vnico formulari Gregorij magni, quod in registro eius extat, anim aduerti potest, vbi dicit salubriter, pietatis intuitu, seruis, manu-mittentis beneficio, libertatem reddi. Sed præstat ipsam manu-missionem transscribere, vt intueamur quomodo ea à Romano Pontifice emanarit. *Cum*, ait, *Redemptor noster, totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam* Lib. 5, cap. 12.

nam

nam voluerit carnem assumere, vt, diuinitatis suæ gratia, dirupto, quo tenebamur captiui, vinculo seruitutis, pristinæ nos restitueret libertati, salubriter agitur, si homines quos ab initio natura liberos protulit & ius gentium iugo substituit seruitutis, in ea natura in qua nati fuerant, manumittentis beneficio libertati reddantur. Atque ideo pietatis intuitu, & huius rei consideratione permoti, nos Montanum atque Thomam, famulos sanctæ Romanæ ecclesiæ, cui, Deo adiutore, deseruimus, liberos ex hac die, ciuesque Romanos, efficimus, omneque vestrum vobis relaxamus seruitutis peculium. Et quia, tu Montane, animos ad conuersionem fateris appulisse monachicam, idcirco duas vncias, quas tibi quondam Gaudiosus presbyter, per supremæ suæ voluntatis arbitrium, institutionis modo, noscitur reliquisse, hac die tibi donamus atque concedimus, omnia scilicet monasterio sancti Laurentii, cui Constantia abbatissa præest, in quo conuerti, Deo miserante festinas, modis omnibus profutura. Si quid vero de rebus suprascripti Gaudiosi te aliquo modo celasse constiterit, id totum Ecclesiæ uostræ iuri sine dubio mancipetur. Tibi autem supra scripto Thomæ, quem pro libertatis tuæ cumulo, etiam inter notarios volumus militare, qinque vncias, quas præfatus Gaudiosus presbyter per vltimam voluntatem hæreditario tibi nomine

nomine dereliquit, simul & sponsalia, quæ matri tuæ conscripserat, similiter hac die per manumissionis paginam donamus, atque concedimus, ea sane lege atque conditione subnexa, vt si sine filijs legitimis, hoc est, de legitimo susceptis coniugio, te obire contigerit, omnia quæ tibi concessimus, ad ius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, sine diminutione aliqua reuertantur. Si autem filios de coniugio, sicut diximus, cognitos lege, susceperis, eosque superstites reliqueris, earundem te rerum dominum sine quadam statuimus conditione persistere, & testamenti de his faciendi liberum tibi tribuimus potestatem. Hæc igitur, quæ per huius manumissionis chartulam statuimus atque concessimus, nos, successoresque nostros, sine aliqua scitote refragatione seruare. Nam iustitia, ac rationis, ordo, suadet, vt qui sua à successoribus desiderant mandata seruari, decessoris sui proculdubio voluntatem, & statuta, custodiant. Hanc autem manu-missionis paginam Paterio notario scribendam dictauimus, & propria manu, vna cum tribus presbyteris prioribus, & tribus diaconibus, pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradidimus. Actum in vrbe Romana.

De his

De his qui in ecclesijs manu-mittentur.
Caput XXVIII.

NOn mirari autem oportet quod Gregorius, etsi esset summus catholicæ Ecclesiæ Pontifex, præter manum notarij, & suam, exegerit pro plenissima firmitate subscriptionem trium presbyterorum priorum, & totidem diaconorum, quando enim Episcopalibus, aut Ecclesiasticis, gestis seruuli manu-mittebantur, fiebat hoc in conspectu Ecclesiæ. Vnde Augustinus de Diacono Hipponensi loquens, *Antequam esset,* ait, *clericus emerat aliquos seruulos. Hodie illos in conspectu vestro manu-missurus est, Episcopalibus gestis.* Et de alio. *Aliqui seruuli eius reliqui fuerant, iam quidem in monasterio viuentes, quos tamen gestis Ecclesiasticis manu-missurus est hodie.*

Serm. 2 de communi vita clericorũ.

Ibidem.

Huiusmodi autem Ecclesiasticæ manu-missiones per Ecclesiam defendebantur. Vnde in priore Concilio Arausicano legitur, *In ecclesia manu-missos, & per testamentum ecclesiæ commendatos, si quis in seruitutem, vel obsequium vel ad colonariam conditionem imprimere tentauerit, animaduersione Ecclesiastica coercebitur.* Quia autem hæc fiebant in conspectu ecclesiæ, ideo quãdo propter facti memoriam vice actorum interponebatur qualiscunque scriptura, in ea aliqui præsentes, vice testium, nomina sua signabant, vt meminit Coostantinus Augustus, scribens ad Protogenem episcopum. Cuius verba Iustinianus suo

Cap. 7.

Codici inseruit, ad titulũ, *De his qui in Ecclesia manu-mittuntur.* *Lib. 1, titulo 2.*

Sed non minus manu-missionem Ecclesiasticam illustrat altera Constantini constitutio, eodem in loco relata, & ad Osium directa. *Qui* inquit *religiosa mente in Ecclesiæ gremio seruis suis meritam concesserint libertatem, eandem eo iure donasse videantur quo ciuitas Romana, sollemnitatibus decursis, dari consueuit. Sed hoc duntaxat his qui sub aspectu plebis, vel antistitum, dederint, placuit relaxari.*

Cæterum non istæ cerimoniæ requirebantur, quando clericus priuatis suis famulis volebat libertatem tribuere. Subijcit enim idem Christianissimus Imperator: *Clericis autem amplius concedimus, vt, cum suis famulis tribuunt libertatem, non solum in conspectu ecclesiæ, ac religiosi populi, plenum fructum libertatis concessisse dicantur, verum etiam cum postremo iudicio dederint libertates, seu quibuscunque verbis dari præceperint, ita vt ex die publicatæ voluntatis, sine aliquo iuris teste, vel interprete, competat directa libertas.*

Has autem Constantini leges Guilhelmus Fornerius, Antecessor Aurelianensis, in selectionibus, formulis aliquot Francicis, ex lapidibus, & veteribus membranis, desumptis, illustrat. Est etiã in Codice Theodosij non absimilis titulus: *De manu-missionibus in Ecclesia.* *Libro 1, cap. 4.*

Breuiter Carolus Simplex, *Ad Remigij venerabilis archiepiscopi deprecationem, seruum,* ait, *iuris nostri, nomine Ansceleum, manu propria, à manu illius excutientes denarium, secundum legem Salicam, liberum cum omnibus quæ habet, vel quæ acquiesierit, fecimus, & ab omni iugo seruitutis asseruimus.*

Apud Paradinum l.2. hist. Lugdun. cap. 24.

Manumißiones quasdam fuisse absolutas, & quasdam restrictas.

Caput XXIX.

MAnumissiones autem nonnullæ fuerunt absolutæ, aliæ cōditionales. Quod ex respōso Innocētij tertij animaduerti potest. Is enim interrogatus an seruus traditus militię clericali, possit se ad aliā transferre ecclesiam, respōdit, *In eo credimus distinguendum vtrum eo tenore fuerint manumißi, & obligati ordini clericali, quod manumittenti ecclesiæ dum vixerunt deberent impendre famulatum in obsequijs diuinorum, & tunc transferendi se ad aliam, est eis licentia deneganda: vel manumißi extiterint absolute: sicque libertatem habeant ad aliam transeundi.*

C. Eo libentius. De seruis non ordin.

Huc etiam referendum est quod Toletani Patres nullos seruos ad clericatus ordinē admiserint nisi qui directa manu-missione absoluti essent. *Quicunque,* inquiunt, *libertatem à dominis suis ita percipiunt, vt nullum sibi in eis obsequium patronus*

Toletan. 4 cap. 72.

tronus retentet, isti, si sine crimine sunt, ad clericatus ordinem liberi suscipiantur quia directa manumißione absoluti noscuntur. Qui vero retento obsequio manumißi sunt, pro eo quod adhuc patroni seruitute tenentur obnoxij, nullatenus sunt ad ecclesiasticam ordinem promouendi, ne quando voluerint eorum domini, fiant ex clericis serui.

Manumißiones in ecclesia frequentißimas fuisse sub onere annui census ecclesiæ præstandi.

Caput XXX.

FRequentissimum autem, & vsitatissimum, fuit apud maiores nostros, quod cum in Ecclesia seruos suos manu emitterent, in recognitionem donatæ libertatis voluerint Ecclesiæ, in qua manumissionem fecerunt, præstari ac persolui annuum aliquem censum, eo modo protestantes se donationem talem facere in remedium animarum suarum, & ad honorem Dei, & Sanctorũ eius, ac præcipue in honorem illius sancti, qui patronus est loci, in quo manu missio fit.

Extat in Affligenio, primario Brabantiæ monasterio, manumissio Rensuuendis puellæ, quam Henricus Comes Louaniensis, & aduocatus patriæ Brabantensis, natalitio iure sibi ancillam, libertate plenaria decorauit, & sancto Petro in Affligen obtulit, ea conditione vt singulis annis ad vincula sancti Petri duos denarios in altari persoluat: si vero ad nubilem ætatem peruenerit, sex denarios: duodecim denique, cum ipsa, aut aliquis de eius stirpe, obierit.

Habet etiam Louanienſis diui Petri eccleſia literas in quibus Goſvvinus & Henricus, domini de Goethencourt, milites, Alardum de Douſart, intuitu diuinæ remunerationis, manu-miſerunt, & à ſeruitute ſeruilis conditionis, qua ipſis fuerat obligatus, in altari ſancti Petri quiticlamauerunt, (hoc enim verbo vtuntur) ad annuum cenſum capitis vnius denarij eum ſupportantes. Quas literas ſuo ſigillo Capitulum roborauit, anno milleſimo ducenteſimo quinquageſimo.

Eodem pertinent breues monaſterij Fliderbacenſis literæ. Nouerint tam præſentes quam futuri quod Henricus miles de Bruc, poſt obitum filiæ ſuæ Mabiliæ, vxoris, Simonis de Bush, tam filios & filias Mabiliæ quam omnes ſucceſſores eorum per annium cenſum denarij vnius in eccleſia Fliderbacenſi liberos tradidit, ac ipſos liberæ conditionis fecit.

De libertis eccleſiarum.
Caput XXXI.

Lib. 4 elegant. De iiſdem lib. 1 digeſtorum, titulo, De ſtatu hominum.

Ex manumiſſione autem ſeruorum orti ſunt mediæ conditionis homines inter ſeruos & ingenuos, dicti libertini. Sunt enim, vt Laurentius Valla annotauit, libertini, qui iuſta ſeruitute manumiſſi ſunt: quemadmodum è contrario ingenui ſunt qui libera matre nati, nec poſtea ſerui facti ſunt. Libertus autem ſubſtãtiuum eſt & relatiuum ad patronum, ſignificat enim reſpectum ad patronum, id eſt, ad eum qui antea eius dominus fuit, cum ſeruus eſſet. Vnde dicitur libertus Cæſaris, libertus Meſſalinæ, liberta Claudij, liberta Agrippinæ.

Ex

Ex qua Grammatica vocum explicatione facile intelliguntur decreta quarti Toletani concilij, de libertis ecclesiæ lata. *Liberti*, inquiũt, *ecclesiæ, quia nunquam moritur eorum patrona, à patrocinio eiusdem nunquam discedant, nec posteritas quidem eorum, sicut priores canones decreuerunt. Ac ne libertas eorum in futura prole non pateat, ipsaque posteritas naturali ingenuitate obnitens, sese ab ecclesiæ patrocinio subtrahat, necesse est vt tam hi liberti, quam ab eis progeniti, professionem Episcopo suo faciant, per quam ex familia ecclesiæ libertos effectos se esse fateantur, eiusque patrocinium non relinquant, sed, iuxta virtutem suam, obsequium ei, vel obedientiam, præbeant. Liberti ecclesiæ qui à patrocinio eius discedentes, quibuslibet personis adhæserunt, si admoniti redire contempserint, manumißio eorum irrita sit, quia per inobedientiæ cõtemptum ingrati actione tenentur. Liberti, qui à quibuscunque manumißi sunt, & ecclesiæ patrocinio commendati existunt, sicut regulæ antiquorum patrum constituerunt, sacerdotali defensione à cuiuslibet insolentia protegantur, siue in statu libertatis eorũ, siue in peculio, quod habere noscuntur.*

Cap. 69. Istud caput, distinguendo explicat Innocentius supra capite 24.

Cap. 70.

Cap. 71.

Quando seruitia inter Christianos esse desierint.

Caput XXXII.

ET hæc paulo plenius hactenus de seruis dicenda habui, partim vt intelligamus Canonicos, dum seruos possidebant, nō affectasse inde dominorum nomen, cum erga illos humanissimi essent, velut erga conseruos, & confratres suos, eosque magis reputarent ad familiam ecclesiæ, quam sed se, pertinere, & in altari magis Deo & Sanctis eius, quam sibi, esse donatos, ad publicā videlicet ecclesiæ vtilitatem, non ad priuatum alicuius Canonici commodum: Partim etiam vt notitiam aliquam habeamus de seruis & libertis, quales ij esse soleant in familijs Christianis, & potissimum in familijs Ecclesiasticis, sub suis dominis & patronis, eo quod hæc nunc adeo, Dei imprimis, deinde virorum Ecclesiasticorum, denique cæterorum Christianorum hominum, benignitate, & humanitate, sint obscurata, vt vix vllum in plerisque Christianis prouincijs supersit seruorum, vel libertorum, vestigium. Quod dum pressius consideramus, merito seipsos redarguere coguntur quidam durioris ingenij homines, qui audent inclementiam & inhumanitatem exercere erga suos ministros, famulas, colonos, aut cuiuscunque alterius liberæ conditiones homines, qui eis non seruiliter sed libere, seruiunt, cum maiores nostri toto fere Christiano orbe terrarū tam profusè clementes in sui iuris homines fuerint, vt eis plenissime omnem seruitutem relaxauerint.

Lib. 11, digesti noui. Notat autem Bartolus ad legem *Hostes*, qui est in titulo *De captiuis & postliminio reuersis*, secundum mores consuetudinis antiquitus obseruatæ captiuos inter Christianos nec vendi, nec haberi seruos, & quantum ad personas

ſonas attinet iura captiuitatis & poſtliminij ceſſare.

Si tamen qui Chriſtiani militent Saracenis & infidelibus contra Chriſtianos, eiſque auxiliũ quoquomodo præbeant, capti ã Chriſtiauis fiunt ſerui. Non enim iam in Chriſtianorum ſed infidelium, quibus ſe adiunxerunt, numero ſunt habendi. *Aiala l. 1, c. 5.*

De proprijs hominibus, quos Germania habet.

Caput XXXIII.

SVnt autem in Germania, quam Alemaniam dicimus, quos vocant proprios, ſed non ſunt illi ſerui, nec maiores ſuos ſeruos habuerunt. Qualem inde Louanienſis ſchola habuit Conradum Goclenium, hominem VVeſtphalum, primum in Hieronymi Buſledij collegio, quod trilingue dicitur, Latinæ linguæ profeſſorem.

Scribit de his clariſſimus & ampliſſimus præſes Viglius *Proprij homines, quos Germania noſtra habet, eodem iure adhuc viuunt, quo olim, libertis ſcilicet magis ſimiles, quam mancipijs.* Eadem ſcribit Vdalricus zaſius: ſed latius explicat, in paucis eos cum ſeruis participare, & plus ad libertos reſpicere: neq; vnquam Germaniam, pro Cornelij Taciti ſententia, veros ſeruos habuiſſe. *Ad titulũ De teſtamentis ordinandis.* *In Intellectibus Iuris ſingularibus.*

Quando inter Belgas ſerui & libertini eſſe deſierint.

Caput XXXIIII.

CAEterum Belgæ in ſuis ditionibus nec ſeruos nec libertinos, nec proprios homines, agnoſcunt Quãuis enim more aliarũ nationum ſeruos & ancillas poſſederint in ijs locis quę Lotharingiæ & Franciæ connumerari ſolent, vt tamen ſuut natura ſua clementes & benigni: in quibus etiam Chriſtiana religio clementiam atque humanitatem auxit, ſeruos ſuos, Chriſtiani effecti, vt confratres aut benigne tractabant. aut manumiſſos in eccleſia patrocinio commendabant & ſubijciebant, aut denique eis pleniſſimam libertatem propter Chriſtum donabant.

Cum autem communi quaſi totius fere Chriſtianæ Rei-publicæ conſenſu, ſeruitia inter Chriſtianos eſſe deſinerent, non poſtremos fuiſſe Belgas, animaduerti poteſt ex conſtitutione nobiliſſimæ virginis Margaritæ Comitis Flandriæ, quã in eccleſiæ Inſulenſis archiuis aſſeruari intelligo. Vnde mirum non eſt poſterioribus ſæculis maiores noſtros in Belgio ſummo fauore perſonarum libertatem proſecutos eſſe, neque vllum in ſuis regionibus miſeræ ſeruitutis vſum admiſſe. Ad cuius declarationem vnum proferam exemplum vt cognoſcatur quid iam pridem è re nata de liberali cauſa conſtitutum ſit. Inſtitor quidam Luſitaniæ emerat mancipium quoddam, Simonem nomine, colore fuſcum, quales ſunt quos albos Mauros dicimus, compunctum notis literarum P & M in vtraque mala. Iſtud mancipium vt à Domino aufugerat, in his prouincijs latitare aut vagari putabatur. Porrectus eſt itaque in Senatu ſecreti cõſilij Caroli Quinti libellus ſupplex quo inſtitor ſeruũ ſuum ſibi vindicare volebat, quem, vt moribus Hiſpaniæ receptum eſt, ſuum eſſe iure dominij,

dominij, tituloque emptionis, dicebat Senatores autem secreti consilij, quod negotium propositū magni esse momenti, atque in exemplum sæpe alias trahi posse, arbitrarentur, etsi existimarent non esse annuendum precibus supplicantis, priusquam id responderent, voluerunt sibi à magno Consilio Mechliniensi significari quid de proposita hypothesi ex æquo & bono statuendum videretur. Rescripserunt autem Patres Conscripti, in eandem sententiam procliues, eius petitionem nulla firma iuris ratione niti, propterea quod moribus vsuq; nostræ gentis iamdudum seruilis personarum conditio sit antiquata, & omnium hominum contraria ei libertas optime conseruata.

Rescriptū habetur ad 7 Martij, anno 1531.

Ex his autem monumentis facile intelligitur verū esse quod Nicolaus Clenardus ex Fesa scripsit Abbati Tongerloensi, *Audio in Brabātia, & cæteris illis regionibus Cæsaris extra Hispaniā, non posse haberi seruos, sed statim eos liberos fieri, inuito domino.*

Clen. l. 1 epistolarum.

Seruitutem manus mortuæ sublatam esse ab Alberone episcopo Leodiensi.
Caput XXXV.

SImili humanitate Albero episcopus Leodiensis, quē Dodechinus Adelberū nominat, frater Godefridi Ducis Louaniensis, sustulit in amplissima sua diœcesi seruitutem mortuæ manus. Antiquitus enim, vt habet Chronographus Leodiensis, mortuo aliquo rustico, dextera manus abscindebatur, & domino suo præsentabatur, in signum quod amplius ei non seruiret. Sed hanc redemptionem prorsus Albero in terra sibi subiecta perpetuo decreto damnauit ac obliterauit.

In appendice ad Marianū. Cap. 28.

De seruitute, quæ dicta est Cormeda.
Caput XXXVI.

IN alijs tamen quibusdam ecclesijs seruitus illa, non quidem ad personas, sed quo ad res eorum perdurat. Quod improbari non potest, cum recognitio ea proueniat partim ex eo quod nonnulli ex seruili stirpe manu-emissa descenderint: partim quod alij bona quædam quasi feudalia manuati sub tali onere possideant. Dicuntur autem manuati, quod manum & ius quoddam ad illa bona possideant. Quod enim mortui manus abscindi soleat, nescio an alibi quam apud historicum illum Leodiensem reperiatur.

Hoc certum est, Capitulum moriente manu aliqua, solere per ministrum suum habere optionem velletne vestem aliquam mortui, aut equũ, aut annulum, aut aliud quiddam in suam potestatem accipere. Quam seruitutem Latine cormedarij dicebant: quod Germanicè efferebant, **Den koer hebben vnder etlichen dinghen**. Sed hæc seruitus multis in locis primùm redempta fuit pecuniâ deinde ex magna summa in paruam est deriuata, & paulatim per negligentiam & rebellionem euanuit.

In edicto dato Coloniæ, Kal. Sept. Quod Heda habet.

Vnde Carolus Augustus anno millesimo trecentesimo quadragesimo nono, cum multi refractarij, etiam addito periurio, cormedam negarẽt, regio decreto sãciuit homines seruituti obnoxios colonos aut quoscunque alios, non posse per proprium iuramentum euadere, quo minus Traie-

ctensis

ctensis ecclesiæ Episcopis, prælatis, ac ecclesiasticis personis soluant census, ceram, vestes, equos, pecora, & iura, vulgariter cormede dicta. aut alias res, in vita, vel post mortem debitas, sed eos obligari, quandocunque supradictæ ecclesiasticæ personæ per septem similis conditionis homines, ius suum edocere possunt.

Huc etiam pertinet quod sanctus Henricus Imperator, cum dilecta coniuge Chunegunde in fundatione monasterij sancti Michaelis apud Bābergā donatius tredecim principalibus, curtilibus adiecerit de colonis, *Debita seruitia aratrorū in tribus vicibus in anno, ouorū in Pascha, caseorū in Pentecoste, pullorum in carnispriuio, & hebdomadalia seruitia dictæ nostræ ecclesiæ, ab omnibus vt condecet, impendantur. Censum autem vltimum, per quem vtique obmissa vel neglecta supplentur seruitia, ius videlicet capitale, à viris decedentibus optimum equum, vel, si carent, optimum caput pecoris: & à fœminis induuias & exuuias transmitti ad ecclesiam ordinamus; vt cum famulis ecclesiæ in diuinis seruitijs communionem plenariam consequantur.* *In libro de monasterÿs Germaniæ fol. 87.*

De seruis Hispaniæ.

Caput XXXVII.

QVod autem Clenardus scribat intra Hispaniam haberi posse seruos, videtur contrariū

esse Bar-

esse Bartolo, ex quo paulo ante notatum est nusquam homines Christianis moribus vendi, & iã pridem seruitia desijsse, Si enim aliquando etiam inter Hispanos, seruitia esse desierint, mirum est quomodo postmodum inter eos receptus sit vsus seruorum.

Sed hic meminisse oportet gentem illã multa bella sustinere contra Mauros, Turcas, & alios infideles, ideoque mirum non esse, si quos iure belli sacri capiunt, & misericorditer seruant, eos sibi sub iugo seruitutis retinerent, quamdiu ad Christianam religionem venire nolunt. Quãdo enim suauissimo Christi iugo se submittere cupiunt, Christiana pietas flagitat, vt eis seruitutis humanæ iugum relaxetur.

Deinde non soli Hispani huiusmodi mancipia possident, sed etiam Siculi, Neapolitani, Veneti, & alij quidam, qui sæpe cum Christiani nominis hostibus pugnare coguntur.

Denique, quod illi præter morem Italorum, Francorum, Germanorum, Anglorum, & aliorũ populorum, seruos Christianos & possideant, & diuendant, negare non possum. Neque puto inter eos vnquam, ex more & consuetudine aliarum regionum, seruitia Christianorum desijsse. Quod etsi summopere in Italis, & alijs popularibus, sit laudandũ, non tamen oportet nimo rigore istos damnare, qui in seruorum & ancillarum possessione, quos slauos & slauas appellare malunt, à nostris moribus dissident: quamquam inhumanitas in nullis erga quoscunque sit toleranda.

Non

Non expedire, quod geniti ex ministris ecclesiæ, in eius seruitutem redigerentur.

Caput XXXVIII.

SVnt autem non-nulli qui putent ab Hispanis patribus, in nouo Concilio Toletano, decretum fuisse, vt qui ex ministris ecclesiæ nascuntur in seruitutem ecclesiæ eiusdem deuocentur. In qua sententia, cum alijs nõnullis, fuit qui Gratiani citatronibus summaria apposuit. Is enim Canonem hunc citat, sed mutilem, ideoque eum transcribere præstat ex opere Consiliorum. Est autem decimus in nouo Concilio Toleti habito. *Cum multa super incontinentia ordinis clericorũ hactenus emanauerint sententiæ patrum, & nullatenus ipsorum refrenari quiuerit correctio morum, vsque adeo sententiam iudicãtium protraxere commissa culparum, vt non tantum ferretur vltro in authores scelerum, verũ & in progeniem damnatorum. Ideoque quilibet ab Episcopo vsque ad Subdiaconum, deinceps qui vel ex ancilla, vel ex ingenua, detestando connubio, in honore constituti, filios procrearint, illi quidem ex quibus geniti probabuntur, canonica censura damnentur: proles autem tali pollutione nata, non solum hæreditatem parentum nunquam accipiet, sed etiã in seruitutem eius ecclesiæ, de cuius sacerdotis vel ministri ignominia, nati sunt, iure perenni manebunt.* Hactenus Canon.

Quem

Quem etsi oculatiores videant latum tantum esse contra natos ex connubio ministrorum ecclesiæ ab Episcopo vsque ad Subdiaconum, multi tamen eum extendunt ad omnes clericorum filios, qui etiam extra coniugium illicite nati sunt. Et si ijdem admittant, constitutioni, per contrarium vsum, derogatum esse.

Guilhelmus vero Durantus, in opere de modo generalis Concilium celebrandi, non modo asserit rationabiliter fuisse constitutum in Toletano Concilio, quod geniti à ministris Ecclesiæ in seruitutem ipsius redigantur, sed addit videri expediens quod vniuersaliter seruaretur in ecclesia. Sed hoc hactenus nondum visum est Ecclesiæ expediens, neque ego sententiam eius probare possem, quod tutiùs homines ambulent in media via, quam in extremitatibus. Tam enim periculis plena foret conditio Ecclesiasticorum, si in tales homines haberent, velut in mancipia, dominium, quam illis durum esset ferre seruitutis iugum: Vt enim mundus sensim declinat & deficit, ita etiam periculosiori loco sunt qui aut in alto dominij fastigio collocantur, aut duro seruitutis iugo comprimuntur. Vt etiam taceam, quando iam olim per Christianam pietatem seruitia Christiana esse desierunt, non absque scandalo & offendiculo, seruitutem inter Ecclesiasticos reuocari posse, ne quod in aliquo casu ab eis licite fieret, alij generatim vsurpare vellent.

Parte 3, titulo 7.

Quod

Quod Canonici à quibusdam honoratiori titulo Patres dicantur, quam domini.

Caput XXXIX.

EX ijs autem quæ hactenus vtcunque copiose prosecuti sumus, facile intelligitur, Canonicos varijs ex causis dominos esse, sed nulla ratione hunc titulum ab eis affectandum esse. Longe autem honoratioti titulo nonnulli eos, vt & reliquos sacerdotes, Patres vocant. Qua nomenclatura eos sui officij admonent. Cum enim in sortem Ecclesiastici ministerij vocati sint, neque in ea vocatione infimum gradum habeant, sed sint Senatus ecclesiæ, cooperatores Episcopi, quid honoratius eis tribui potest, quam quod dicantur spirituales patres filiorum Ecclesiæ? Episcopus Ecclesiam suam amare & fouere debet vt propriam sponsam, & vxorem. Ideoque, veluti pater patrum, paternum animum exhibere debet omnibus sibi subiectis, tanquam filijs, in Christo dilectissimis. Quid vero Canonici? Hi sane, quia membra sunt Episcopatus, quia à Deo vocati sunt in opitulationem Episcoporum, quisque secundum talẽtum sibi datum, in ecclesia, ad quam vocatus est, exhibere & præstare se debet patrem spiritualem, salutem quærere animarum: non seipsum amare, sed multorum salutem. Neq; enim ad castra militiæ spiritualis vocati sunt, vt in eis ocio torpeant, sed vt militent, aut potius, vt veluti duces & capita, alijs ducatum præbeant.

A Canonicis potius sat. agendum esse, vt serui agnoscantur, quam domini.
Caput XL.

EX quibus omnibus facile intelligitur Canonicorum vocationem postulare vt in Ecclesia Dei non dominentur, sed seruiunt. Sunt enim vocati in sortẽ ministerij Ecclesiastici. Hoc est, vt sint Ecclesię Dei ministri. Dicente Christo,
Matth.20 *Quicunque voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: & qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus, sicut filius hominis non venit miuistrari, sed ministrare, & dare animam suam in redemptionem pro mnltis.* Seruire autem dicuntur, quando non suum temporaneum commodum, sed aliorum spiritualem salutem quærunt. In qua functione, cum se Romanus Pontifex maxime obligatum esse sciat, seruum seruorum se, vsitatissimo & notissimo titulo, nominat. Qua etiam consideratione Apostoli, & libenter, & frequenter, se domini nostri Iesu Christi seruos appellauerunt, & diuus Augustinus Marcellino scribẽs, se seruum Christi, seruorumq; Christi, nominat: Verum non hæreamus in ijs quæ toti orbi Christiano notissima sunt, Non enim dubium est Canonicorum ordinem institutum esse in ecclesia Dei, non vt Canonici dominentur, sed vt Deo, & ecclesiæ Christi, seruiant, & in subditorum salute curanda, cum Episcopo, collaborent.

Quod Paulinus Nolanus Episcopus singulari exemplo se in seruitutem tradiderit vt filium vidua redimeret.
Caput XLI.



Memo-

